2

DELECTUS
AUCTORUM SACRORUM
MILTONO
FACEM PRÆLUCENTIUM.

Ludicra Chriſticolæ ponant. Æneide majus
Exit opus, celebri majus & Iliade.
HENRICUS STEPHANUS.

Cedite! ROMANI Scriptores! Cedite! GRAII!
Et quos FAMA recens, vel celebravit anus:
Hæc quicumque leget, tantum cecinisse putabit
MOEONIDEM Ranas, VIRGILIUM Culices!
SAMUEL BARROW, M. D.
in MILTONI PARADISUM AMISSUM.

TOMUS SECUNDUS.

Adcurante GULIELMO LAUDERO, A. M.

LONDINI:
Excudebat JACOBUS GED, Anno 1753.
Liberque proſtat venalis apud GULIELMUM OWEN,
Bibliopolam in Fleet-Street, Juxta Temple-Bar.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

SARCOTIS.

LIBRI TRES.

AUCTORE

R. P.

JACOBO MASENIO,

S. J.



AD

SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM

HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGEM,

AUSTRIÆ ARCHIDUCEM,

LEOPOLDUM IGNATIUM.

LONDINI:

Excudebat JACOBUS GED, Anno 1753.

Juxta Exemplar COLONIÆ Impressum.

Anno MDCLIV.

Cum Privilegio CÆSAREO.

SARCOTIS.

LIBRI TRES.

AUCTORE

R. P.

JACOBO MASENIO.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Celsissimo, Potentissimo, Illustrissimo Principi,

CAROLO NOEL SOMERSET,

Duci de BEAUFORT,

Marchioni et Comiti

de WORCESTER,

Baroni de HERBERT,

RAGLAND, CHEPSTOW,

et

GOWER;

L. L. D.

Ab Antiqua Regum Angliæ Prosapia

ORIUNDO;

Regiisque plane Virtutibus,

Humanitate, Liberalitate, Clementia,

PRÆDITO;

Adhæc,

Literarum, Literatorumque,

(utpote Liberalibus disciplinis egregie imbuto)

FAUTORI, PATRONO, PROPUGNATORI,

Eximio, Unico, Benignissimo:

NOVAM HANC EDITIONEM

CARMINIS MULTO SPLENDIDISSIMI,

Quod SARCOTIS inscribitur,

AUCTORE

PHILOLOGO PRÆSTANTI,

THEOLOGO ERUDITO,

POETA INSUPER ELEGANTISSIMO,

JACOBO MASENIO,

FLORENTISSMI SOCIETATIS JESU COLLEGII,

COLONIÆ AGRIPPINÆ QUOD EST,

RECTORE OLIM MERITISSIMO;

Post centum fere annos Redivivi,

Gentique Britannorum

Incogniti hactenus atque inauditi,

Summa cum Fide,

Maximaque cum Diligentia,

Prima juxta Exemplaria

ADORNATAM,

EA, QUA PAR EST, ANIMI VENERATIONE,

LEGENDAM, PROBANDAM, FRUENDAMQUE PROPONIT,

MODOQUE MAXIME SOLENNI,

DAT, DICAT, DEDICAT, CONSECRAT,

EJUSDEM EDITOR,

Gulielmus Lauderus.

CANDIDO ATQUE ERUDITO

LECTORI

S. P. D.

GULIELMUS LAUDERUS.

SISTO tibi, Lector Candide atque Erudite, Quadrigam Poetarum, quibus (ex recentioribus intelligo) an pares Britannia hactenus viderit, si quid mihi his in rebus ineſt judicii, (ineſt autem omnino nonnihil) merito, credo, ambigi poterit. In his agmen ducunt JACOBI MASENII, Theologi præſtantiſſimi, atque Poetæ quoque elegantiſſimi, SARCOTIDOS, hoc eſt, de Lapſu Primorum Humani Generis Parentum Carminis, libri tres. Huic poemati non tantum ad exſecutionem famigeratiſſimi ſui Carminis, Anglicano Idiomate conſcripti, PARADISI AMISSI gaudentis titulo, quod adtinet, ſed etiam ad totius operis conſtitutionem quod ſpectat, quodque præcipuum eſt, quin plurimum debeat MILTONUS, nemo, credo, ſanus negaverit. Proximum huic locum ODORI-

CUS

cus obtinet VALMARANA, homo natione Italus, ac Poeta ſane minime ſpernendus, cujus DÆMONOMACHIÆ librum primum, (utpote ad noſtrum inſtitutum unice ſpectantem) lectu utique digniſſimum, noſtro in delectu comparere juſſimus. Tertium deinde locum jure merito ſibi vendicat CASPARIS BARLÆI, in celeberrimo apud Amſtælodamenſes gymnaſio Philoſophiæ Profeſſoris olim eruditiſſimi, Vatiſque inſuper excellentiſſimi, ſuaviſſimi, cultiſſimi, PARADISUS, ſive Primorum Parentum Adami & Evæ NUPTIÆ: carmen quantivis certe pretii, cumque præſtantiſſimis veterum Poetarum Latinorum, Catulli, Statii, Claudiani, ſuo in genere comparandum, ac forte præferendum etiam; nullum quippe lenocinium in docto pulchroque carmine in eo deſideratur. Agmen tandem claudunt FREDERICI TAUBMANNI, etiamnum juvenis admodum, de BELLO ANGELICO libri tres, calido illi, audaci, poeticoque vere ſpiritu effuſi. Hoc opus imperfectum (proh dolor!) poſteris reliquit præſtantiſſimi ingenii adoleſcens, Tanto Bello, (uti ipſe ingenue fatetur ſub calcem poematis) qua erat ætate, debellando impar. Id operis optandum eſt poſtea

poſtea perfeciſſet vir clariſſimus, ævi judiciique maturus quum evaſiſſet. Nobiliſſimum profecto immortalis ingenii ſui monumentum cuncta per ſecula carmen iſtud, poſtrema ſi auctoris manus eidem acceſſiſſet, (quo fuit ſcilicet poſtea judicii acumine atque elegantia) omnino exſtitiſſet. Sed qualecumque demum fuerit, præſtantiſſimum Miltono viſum eſt, cujus quippe medullam atque ſummam, tacito interea auctoris nomine, pro ſolenni ſibi more, ſuum in carmen furaciſſimus iſte raptor tranſtulerit.

Hos præter quatuor Poetas modo memoratos, anno ſuperiori binos alios, ad idem argumentum ſpectantes, publicavi; Hugonis nempe Grotii, juvenis tantum duodevicenarii, Adamum Exſulem, Tragœdiam; opus ſane divinum, aureum, palmarium, ſed neſcio quo malo fato rariſſime obvium, per integramque annorum centuriam orbi literario prorſus deperditum, mea vero ſolertia atque induſtria ex tenebris erutum, politiorumque literarum ſtudioſis beneficio meo quaſi poſtliminio reſtitutum; porro Andrææ etiam Ramſaii Scoti, Sacroſanctæ Theologiæ in Alma Ma-

tre, Academia Edinburgena, Profeſſoris olim clariſſimi, vatiſque inſuper cultiſſimi, poemata ſacra; hoc eſt, libros quatuor de Creatione Rerum; de primigenia Hominis Felicitate, in ſtatu Innocentiæ; de Lapſu Protoplaſti, omniumque in eo Poſterorum; denique, de Humani Generis per Chriſtum Jeſum Reparatione, Latinis verſibus elegantiſſime, ſanctiſſime, doctiſſime celebratos.

Atque hic quidem præfandi finem facere volebam, quum negotii haud levis memoria, animum ut ſubito mutarem, effecit. In diſſertatione, ſive tentamine literario, quod haud ita pridem edidi de Miltoni uſu atque imitatione quorumdam recentium Poetarum, qui argumentum in AMISSO PARADISO ab eo illuſtratum, ante eum Latinis verſibus celebraviſſent, confidenter adfirmaveram, Maſenii, Grotii, Ramſæi, Barlæi, Taubmanni, Bartaſſii denique in poematis præcipuum, maximeque bonæ frugis quod eſſet, id omne fœliciſſimo ingenioſiſſimoq; furto, laudabili tamen proboque non item, (PLAGIUM eruditi vocant) illaudatis auctoribus, unde pulcherrimas imagines, deſcriptiones, orationes, ſimilitudines, veneres

veneres denique hauſerat, (ſuum quibus opus diſtinxit, illuſtravit, locupletavit, adornavit) delibaſſe Miltonum, indeque ſuum in carmen tranſtuliſſe. Id autem verene an falſo adfirmaverim, ſupradictorum Poetarum carminibus ſumma cum fide jam publicatis, eruditi atque candidi lectoris judicium penes eſto.

Ad me enim quod adtinet, ſententiam ea de re meam (uti illam in diſſertatione mea declaraveram) nec mutavi hactenus, nec mutabo umquam, ſed mordicus contra ad extremum uſque vitæ halitum retinebo.

Neque hic me fugit Miltoniani nominis adſeclas (plurimi qui ſunt, iique validiſſimi) pleno ore regeſturos, hæc cum epiſtola ad adverſarium meum, (deſultorio feroculoque ingenio adoleſcentem) Douglaſſium quemdam data, ex diametro pugnare: Qui forte Douglaſſius Latinas literas vix novit, culpat enim in me quaſi parum Latina, quæ non culpanda eſſe tam ſcio, quam ſcio me vivere, cujuſque putidiſſimas Miltoni vindicias obruam brevi tam facili negotio, atque refellam, quam Beatus Paulus viperam,

quæ ejus forte manui inſediſſet, in flammas rejecit, illæſus ipſe interea temporis atque intactus. Quo quidem tempore manifeſto me demonſtraturum confido, non Anglo ab Scoto prius illuſum eſſe, (quod rariſſimum quidem eſt) ſed contra Scoto prius illuſum eſſe ab Anglo, & quidem Regi, & quidem ſuo, & quidem innocenti, idque flagitioſiſſime ſimul ſceleſtiſſimeque; ac proinde & me nihil admiſiſſe, neque Miltonum quidquam perpeſſum eſſe, præter juſti æquique regulas, ſi ſcilicet vel divinarum vel humanarum literarum teſtimonio ſit ſtandum. Sed hæc obiter tantum.

Sed ſciant velim boni iſti viri iſtam ad Douglaſſium epiſtolam (meo licet nomine editam, nomenque meum præ ſe ferentem) nec ab me ſcriptam, nec ſubſcriptam fuiſſe, nec denique ſenſa animi mei exhibuiſſe, ſed omnia prorſus contraria, pauca ſolum carmina, quæ interpolata erant, ſi demas; utcumque imprudens, ac vix perlectam quidem, quaſi meam, publicari permiſerim, in fraudem malam inductus, (mali quandoque conſultoris ea eſt vis!) aliquidque huma-

humanitus eo tempore perpeſſus, uti nemo eſt homo, qui omnibus horis ſapiat.

Deo enim duce, ſtat ſententia nequaquam mihi deeſſe in confirmanda propugnandaque cauſſæ meæ veritate, amoliendoque ſimul odio atque opprobrio, quod ex innoxio, maleque intellecto, peſſimeque per ſummum ſcelus defenſo, dolo literario, per integrum fere triennium, nomini meo (ante hoc temporis nulla fraudis dolique mali ſuſpicione commaculato) graviſſimum incubuit.

Contentionis autem ferram reciprocare in præſentia, nec tempus, nec locus, nec animus denique me permittit, quum alio idiomate, hoc eſt, Anglicano, eam fuſe provinciam, ſub calcem voluminis, obire propoſitum mihi ſit. Quo ſpero tempore luculenter adparebit, quam non ab veritate abhorreant lepidiſſimus fabularum architectus, emunctæque, ſi quiſquam alius veteres inter ſcriptores Romanos, naris homo, Auguſti libertus, elegantiſſimus nempe Phædrus, acutiſſime quæ cecinerit:

Non

Non ſemper ea ſunt quæ videntur. Decipit
Frons prima multos. Rara mens intelligit
Interiori quod condidit cura angulo.

Bene! optime! egregie! excellentiſſime! veriſſimeque ſimul!

Cæterum, ad Miltonum jam ut redeam, ſancte Deum Immortalem juro, in ejus poemate nihil ſanum aut ſobrium, nihil ſplendidum aut magnificum, nihil denique ingenioſum aut ingenuum, meo ſaltem judicio, comparere, quod non prius hauſerit, aut hauſiſſe ſaltem videatur, ex Maſenii atque Grotii, Taubmanni atque Barlæi, Ziegleri atque Naogeorgii, Vidæ atque Valmaranæ, Bezæ atque Bartaſſii, Buchanani denique atque Ramſæi doctiſſimis elegantiſſimiſque monumentis, præſertim vero Maſeniani, Grotiani, Ramſæani ingenii luminibus, Graculi inſtar Æſopici, furtivis nitentis coloribus, ſplendeſcere ubique Miltonum, totoque opere radiare, certo certius eſſe exiſtimo. Hi ſiquidem omnes clariſſimi viri, alios præter plurimos, (contra quam temere

temere nimis hactenus, falsoque creditum est) in argumento creatæ ex nihilo universitatis rerum, palæstraque Luciferi contra Supremum Numen rebellantis, Cœlestibusque tandem sedibus depulsi, atque deturbati etiam ex Paradiso Hominis, propter inobedientiam divinis jussis, ejusdemque postea per Christum instauratæ Salutis, luculentissimam Miltono facem præluxerunt.

Negari vero non potest, (quod dolendum sane est!) illorum omnium monumenta doctorum virorum, inepta, absurda, prava, addo etiam profana atque impia, Ethnicorum Deorum, futiliumque fabularum commixtione, (Quæ enim Christo cum Beliale concordia? Quod luci cum tenebris commercium? Quæ denique veritati cum falso atque mendaciis communio?) miserandum in modum, Miltonum deturpasse, deformasse, interpolasse, commaculasse; hoc est, omnium argumentorum gravissimum, sanctissimum, severissimum, ludicro ingenio suo coinquinasse, cunctisque quasi mortalibus deridendum propinasse, adeoque cordatis probisque hominibus omnibus

omnibus (ſacroſancta Chriſtianæ Religionis dogmata atque myſteria in ludibrium atque contemptum trahi indignantibus) maximam offenſionem dediſſe. Atque ita quidem quum cenſeat ipſa levicula Gallorum gens, (atque ita cenſet profecto, ſiqua Voltario, ſiqua Rollinio fides, teſtibus cum primis locupletibus) ſeriam magis ſobriamque Anglorum gentem (ita enim haberi volunt) aliter prorſus opinari, abſurdumne magis an admirandum, intolerandumne magis dolendumque, an vix demum credibile cenſendum ſit, incertus plane hæreo.

Cæterum, quum meridiana luce ſit clarius, eorum ex fontibus modo laudatorum auctorum (conſtat enim manifeſtis indiciis hoſce omnes ſcriptores Miltonum ſe penes habuiſſe) avidiſſime uberrimeque hauſiſſe Anglum, neſcio tamen quo malo fato acciderit, ut, quum cæteri omnes (unum, alterumve, aut tertium ſi excipias) illaudati, obliterati, ac ne nominati quidem exſtiterint, omnem gloriam, omnemque iſtius argumenti laudem, omnes præter juris æquique & boni regulas, cæteris omnibus Miltonus ſolus præripuerit. Quod

hic

hic mihi in memoriam redigit Leonis injuſtitiam, a Fabulatore memoratam, qui, quum ſocius fuiſſet cum vacca, capella, atque ove, captoque in ſaltibus cervo vaſti corporis, eoque poſtea in diverſas portiones diviſo, norma juris ſuſque deque habita, fraudatus ſocios, totam raptor prædam ſolus improbiter abſtulit: quo quidem ſceleſtiſſimo deterrimoque facto nihil in rerum natura eſſe iniquius, ac deteſtabilius, quotuſquiſque eſt, oro, ab ſenſu communi non plane deſtitutus, qui non perſpicit? Siquidem verum eſt id, (de quo nemo ſanus dubitaverit) quod SYNESIUS adfirmat, vir ſanctiſſimus, teſtiſque, ſi quis alius, locuples, *Magis nempe eſſe impium Mortuorum Lucubrationes, quam Veſtes furari.*

Aſt in hoc nihil ab moribus ſuis alienum Plagiariorum Princeps admiſit MILTONUS; ſiquidem, florentibus adhuc annis, vegetaque etiamnum, minimeque obſoleta ingenii poetici vena, (ſi qua ſcilicet illi aderat, nec totam illam, qua gaudet polletque fama, ob poeticen, cultique carminis gloriam, ſtupendumque cum

primis, admirandumque ingenii acumen atque ſublimitatem, improbis aliorum ſcriptorum compilationibus, uti credibile eſt, acceptam debet referre) Baptiſten Georgii Buchanani, elegantiſſimi, acutiſſimi, ingenioſiſſimique poetæ, (hominis autem probi non item) Tragoediam, Anglicano idiomate donavit, pro ſuoque poſtea opere divulgavit, honoremque Buchanano debitum, per ſummum ſcelus, impudentiſſime ſibi adrogavit; ob id a doctiſſimo quodam viro, mihi probe noto, ſcitiſſime, veriſſime, meritiſſimeque ſimul, & Compilator & Simia Buchanani adpellatus. Hæc vero quum maturi judicii vir admittere MILTONUS haud dubitaverit; quid, quæſo, ſubareſcentibus jam ingenii viribus, ingraveſcentibuſque annis plane obſitum, plurimiſque præterea incommodis circumſeptum, (qua ſcilicet erat famæ cupiditate) eumdem demum non moliturum exiſtimabimus? Lectoris id judicio relinqui, ipſe quam pronunciare malim.

Neque a ſuis ſolum moribus, hoc facto, vel hilum degeneraſſe, neque a proprio genio atque indole ſuæ gentis diverſus abiiſſe cenſendus eſt

MIL-

MILTONUS; cujus ſane gentis furtum apud vulgus, inter Literatos vero plagium, ſunt nativa quaſi vitia, teſte elegantiſſimo Poeta, eruditiſſimo Theologo, graviſſimo Philoſopho, ſapientiſſimo denique Viro, JACOBO MASENIO, florentiſſimæ Societatis JESU, Coloniæ quæ Agrippinæ eſt, Rectore olim digniſſimo, cujus ſequens eſt hicce verſiculus,

Bruttius, Argivuſq; latro eſt, Fur ANGLUS habetur.

Hujus porro egregii poetæ elegantiſſimum opus, SARCOTIDA, miſerandis quoque modis, flagitiotiſſime compilavit, honoremque atque gloriam, clariſſimo ingenioſiſſimoque auctori debitam, injuſtiſſime impudentiſſimeque ſimul, pro ſolenni ſibi more, ſceleſtiſſimus furaciſſimuſque intervertit MILTONUS, ſibique vindicavit.

Nec hoc ſolo contentus, (nimium licet id fuerit) non adgnoſcere ſcilicet beneficium, ultra etiam progreditur MILTONUS, ſalſeque illudit MASENIO, eo ipſo in opere, cujus bis mille fere verſiculos (præter haud ſpernendam ſane

partem ipſius operis conſtitutionis, (uti jam notatum eſt, quodque præcipuum profecto eſt) ex pulcherrimo ejuſdem doctiſſimi viri poemate conflaverat, ſeu verius conſarcinaverat, ſuffuratuſque fuerat, ſiqua fides vera narranti haberi poterit; exprobrans MASENIO Sanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ (cujus fulgidiſſimum ipſe jubar erat) abſurda quædam atque impia dogmata, (ſi ipſi ſcilicet fidem habeamus, hoc eſt, homini omnium mortalium impudentiſſimo, atque Eccleſiæ porro Anglicanæ, in qua natus atque educatus fuerat, adverſario, obſtrectatori, calumniatori, capitali, deterrimo, infenſiſſimo, perpetuo,) ineptas, ridiculaſque ſuperſtitiones, ſtolidas denique futileſque conſuetudines. Ita nimirum viperæ ſuorum dilacerant viſcera parentum! Adeo ut cauſiæ bonitas calumniatoris ex malitia clariſſime poterit perſpici; quod & de Nerone literis olim proditum memini, primario Chriſtiani Nominis Infectatore. MASENIUM forſan MILTONUS Vatiniano, hoc eſt, implacabili proſequebatur odio, totam quia gentem ſuam de furti crimine poſtulaverat: vitio enim humanæ naturæ comparatum eſt, eos plerumque

ut

ut odio habeamus, qui nos delictorum noſtrorum commonefaciunt.

Cæterum, numeroſiſſimorum Gentis Anglicanæ Furtorum atque Latrociniorum (de virorum Plagio doctorum nihil interim ut dicam) adeoque de MASENIANI veritate teſtimonii, luculentiſſimum ſimul miſerabiliſſimumque indicium, ſingulis idque fere menſibus, (quandoque etiam multo ſæpius) FURCÆ TIBURNICÆ exhibent; plures ubi quotannis, quam per aliquot annorum centurias in SCOTIA, aut denique per totum fere orbem terrarum, pari, hoc eſt, annuo temporis ſpatio, rapacium manuum pœnas luunt ſuſpendio. Sed hæc hactenus.

Ubi vero de plagio loquor virorum in Anglica doctorum, de vulgo eruditorum me loqui velim intelligar. Nam (uti nulla eſt regula tam generalis, quæ non aliquas, eaſque illuſtriſſimas exceptiones admittat) lubens demo quoſdam maximo ingenio viros, aptiores multo melioreſque qui ſunt, aliarum gentium Scriptorum inopiam ſuis copiis ſublevare, quam alieni

alieni auxilio ingenii ipſi ut indigeant. Atque hoc dico invidiæ præcipue deprecandæ cauſſa, ne quis ſcilicet totius odio nobiliſſimæ Gentis, humanitate, liberalitate, clementia, in peregrinos, egenos, calamitoſos cujuſcumque demum generis, ſingulari porro in bonas literas, arteſque liberales, earumque cultores atque profeſſores, præ cæteris fere omnibus totius terrarum orbis nationibus propenſione, amore, ſtudio, longe longeque illuſtriſſimæ, atræ ſucco loliginis, meroque livore percitum, hæc me protuliſſe, exiſtimare animum inducat ſuum. Longe profecto aliter ſe res habet, Gentiſque humanitatem prolixam, quam ipſe præ cæteris expertus ſum, ſemper exoſculabor, gratuſque adgnoſcam ac prædicabo,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus.

Sed ad alia jam, lætioraque progrediamur, benevoliſque auribus audiamus Quadrigam excellentium Poetarum (Ramſæum interim ut taceam, Grotiumque, alioſque ſexcentos haud ſpernendi nominis, qua ſacros, qua profanos, qua

qua exteros, qua domeſticos, qua ſoluta, qua ſtricta denique oratione Scriptores) BRITANNICUM HOMERUM (verius GRACULUM ANGLICANUM, furtivis nudatum coloribus) hoc eſt, JOANNEM MILTONUM, ſecundum jus & æquum, pleno rotundoque ore, de furti crimine, adeoque de repetundis poſtulantium, magnaque voce exclamantium,

Diſcite Juſtitiam moniti, & non temnere Numen!

Atque hoc multo luculentius manifeſtiuſque conſtabit, ubi publicavero Georgii Buchanani Baptiſten, Tragœdiam, (qua de ante dictum eſt) cum carminica ejuſdem per MILTONUM Anglicano idiomate verſione; una cum Hieronymi Ziegleri SAMSONE AGONISTA, Lapſuque PROTOPLASTI, atq; illuſtriſſimi etiam Jacobi Auguſti Thuani, juvenis adhuc, Parabata Vincto, Lucifero ſive Catenato, Tragœdiis; unde liquidiſſime adparebit MILTONUM ſemper ſibi ſimilem exſtare, hoc eſt, ubique FURBM AGERE. Quo quidem tempore ſpero, confidoque, priſtinam me gloriam ex conatu ad MILTONUM, Plagiariorum Prin-

Principem ex ſolio poetico (quod tamdiu, non ſine ſumma ſane injuſtitia, immerito obtinuit) dejiciendum comparatam, non recuperaturum ſolum, (parum id enim eſt) verum etiam ingenti novæ gloriæ acceſſione eamdem cumulaturum: Quæ ſane res prudentiſſimum ſanctiſſimi vatis effatum luculentiſſime confirmaverit.

Hoc notum & certum, quo primum ex tempore terris
Degit homo, non eſſe MALO durabile nomen,
Nec, niſi momento, longiſſima gaudia claudi.
Vertice contingat ſi nubes, ſorte ſuperbus
Ætherea, & cœlo caput inſerat, (ecce!) jacebit
Vile ſimum in triviis, tandem periturus, & olim
Qui ſpectabit, ubi eſt? dicet, longumq; requiret.

Utinam,! Utinam! ut Divina Juſtitia, (teſte Cicerone) Regina Virtutum, tandem triumphet, Atque ita! ita fiat! Valeatque Jus & Æquum toto terrarum Orbe! etiamſi

——— Properarent ſidera Cœli
In Chaos antiquum lapſo ſe condere mundo.

Ut

Ut tandem perorem, ex hac doctrina contra MILTONUM, ſequentia multo clariſſime confirmantur illuſtranturque dogmata, nimirum, *Nullam Fraudem diuturnam eſſe poſſe:* quam ſententiam moralium Scriptor diſtichorum ſequenti complexus diſticho eſt,

Nolo putes pravos homines peccata lucrari:
Temporibus peccata latent, ſed tempore parent.

Item, *Nullum tempus occurrere Veritati*, ſive *Magnam eſſe Veritatem, eamque tandem valituram.* Item, *Quod ab initio vitioſum eſt, id tractu temporis non valeſcere.* Item, *Multa quotide præter ſpem atque opinionem Mortalium accidere.* Quis enim, quæſo, ſeptem ante annos, exiſtimaſſet, Divini, Immortalis, Sublimis MILTONI, HOMERI ſcilicet BRITANNICI, famam atque gloriam nominis aboleri potuiſſe, ſummaque cum infamia, ſempiternaque cum ignominia commutari? Sed quo demum pacto alio illuſtrari poſſet poetæ effatum?

——————Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant. ——————

Item et hoc alterius:

—— Miſerum eſt alienæ incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Quod ubi fecero, numeroſiſſimam MILTONICOLARUM cohortem in ſtuporem rapiam atque amentiam, cordolioque maximo adficiam, frigoreque tantum non lethali feriam, ubi pellem

—— Nitidus qua tectus ob ora
Tot annos vulgi proceſſerit ——

Delicio ſuo, verius Idolo, detractam probe viderint, ſummoq; contra gaudio perfundam ejuſdem Graculi oſores atque adverſarios, contemptoreſque, (numeroſiſſimi itidem qui ſunt) infinita conſpicantes lætitia,

—— Quantos moveat Cornicula riſus,
Furtivis nudata coloribus, omne per ævum;
Nunc, ubi forte ſuas repetitum acceſſerit audax
Grex avium plumas, proprioque reluxerit auro.

Quo ille ſcilicet æterna cooperiatur infamia, idque merito ſane, cujus ego cauſſa temporaria fuerim notatus: atque hoc quidem ex præſcripto juris & æqui, quando MILTONIANUM flagitium, contra

contra ſacroſanctam CAROLI REGIS majeſtatem patratum, peccatulum meum adverſus ipſum MILTONUM admiſſum tanto exſuperavit, quanto unicam aquæ guttulam totus immenſi oceani aquarum cumulus exſuperat.

Quoniam vero MILTONUS Baptiſten, Georgii Buchanani Tragœdiam, Anglicano idiomate donavit, pro ſuoque opere divulgavit, (uti jam notatum) gloriamque auctori debitam, per ſummum ſcelus iniquiſſime intervertit, ſibique adrogavit, tria ejuſdem Buchanani epigrammata, adprime huc facientia, hic adponere haud gravabor, in quibus MILTONI admiratores Idolum ſuum vividiſſimis depictum coloribus clariſſime conſpicient. Horum autem prius epigrammatum ſic ſe habet:

JACOBO CRITTONI. *

CRITTO ſuo cupiens aliquid ſupereſſe ſepulchro,
Nec ſemel in Stygios totus abire lacus:

* That moſt witty, elegant, and nervous Epigram, compoſed by *Buchanan* againſt his Countryman, the moſt celebrated

Omnibus adpingit faſtoſa inſignia vitris,
Nec titulis vacua eſt ulla feneſtra novis.

O ſpes

---

lebrated Poet, Soldier, and Philoſopher of his Age, Mr. *James Chrichton*, commonly known by the Name of *Chrichtonus Admirabilis*, i. e. *The Wonderful* or *Admirable Chrichton*, was imitated in Engliſh Verſe, in the following humorous Manner, with a particular Reference to Milton for robbing Maſenius, by the ingenious Gentleman, to whoſe ſingular Diligence and Friendſhip we owe the Recovery of that author's excellent Performance, which he found ſome Years ago, in the Jeſuits Library at Louvain. But ſince that Time, I have been ſo lucky as to recover a printed Copy of it my ſelf, by the particular Favour of a very Learned and Ingenious Friend, who picked it up lately at a publick Sale of Books at York, and generouſly made me a Preſent of it. The Engliſh Verſes are as follow:

His Body loſt, & Soul, & Fame,
To ſave at leaſt from Hell his Name;
Tom loads, forgetting Glaſs is brittle,
Each darken'd Window with ſome Tittle.
But, Thomas! ſhould this very Day,
The South his dabbled Wings diſplay,
Falſe to its charge of Fame, (alas!)
Tumbles the monumental Glaſs.

N. B. The foregoing Epigram may be applied, with as much Juſtice and Propriety, to Milton for robbing the original Author, I mean the Latin Poet, Buchanan, of the Honour of

his

O ſpes fluxa! Brevis famæ fiducia! Mendax
Gloria! cum primo deperitura Noto!

Bina

---

his *Baptiſtes*, (which Milton tranſlated into Engliſh Verſe, and publiſhed as an original Performance of his own) as for robbing Maſenius of the Honour of his *Sarcotis*, or his Poem on *the Fall of Man*. And, doubtleſs, had the Latin Epigrammatiſt and Tragedian been as liberally inſpired with a prophetical as with a poetical Infuſion, inſtead of levelling his pointed Satyr againſt his harmleſs and innocent Countryman, Chrichton, for an overweening Conceit he was pleaſed to entertain of his natural Talents, and acquired Erudition, (both which were truly extraordinary) at an Age very little advanced beyond Childhood, when ſuch oſtentatious Boaſting cannot be deemed ſo very criminal, he had certainly, I ſay, aimed his Satyr, not againſt Scotch Chrichton, who (as far at leaſt as I could ever learn) never ſhone with borrowed Plumes, but againſt the Engliſh Homer, I mean the *Prince of Plagiaries*, Milton. For the future, therefore, I would humbly propoſe, that all the ſubſequent Editors of Buchanan's Works, from a principle of meer Juſtice to their Author, (ſhamefully robbed by Milton) inſtead of *Jacobo Crittoni Scoto*, (as ſome Editions exhibit the Title of that Epigram) would, on my Authority, ſubſtitute the following Words, by way of Title, *Joanni Miltono Anglo, Plagiariorum Principi*. In that caſe, the Verſe, I can aſſure them, will be equally good, and the Senſe, I can ſafely ſwear, will be infinitely better. Who then would ſcruple to admit the Alteration?

Bina autem poſteriora ſequentibus conſtant diſtichis, exhibentque clariſſime acutiſſimi ingenioſiſſimique virorum atque poetarum judicium de plagio.

JOANNI DIGUALLO, argumento ſumpto ex ADAMI OTTERBURNI, Equitis clariſſimi, Hexametris.

Nomine JOANNES, DIGUALLUS origine, Flamen
Flamine natus erat, quem tegit iſte lapis.
E patrio cenſu nec nummo ditior uno:
Scriptura primas adcumulavit opes.
Sedulus hinc Petri coluit menſarius urbem:
Hinc tumor, hinc res, hinc gloria, luxus, opes.
Et velut hinc etiam traxiſſet ſtemmata gentis,
Ornatur titulis parma ſuperba novis.

Ad ADAMUM OTTERBURNUM.

Lana mea eſt, (inquis,) tua tela eſt, cum tibi reddo
Hæc de carminibus carmina facta tuis.
Syntheſin e propria textam ſi dem tibi lana,
Gloria Palladiæ non minor artis erit.
Nec minus inſigni Lyſippus laude feretur,
Ære licet fingat ſigna animoſa tuo.
Tolle, ais, hinc artem, lanam mihi redde, quid autem
Ars tua materia deficiente poteſt?

At

At mihi furtivæ ſi reddas vellera lanæ,
Nuda tamen pretium merx feret iſta ſuum.
Hac vos de tabula, Pictores! lege colores
Tollite: Dædalia ceſſet in arte labor.
Nulla Tarentino liveſcat lana veneno,
Nec rubeant Tyriis vellera cocta focis.
Deſerat algentem dehinc pauper Mulciber Ætnam:
Mendicent Steropes: algeat Acmonides.
Subtrahe materiam, nihil artem poſſe fatemur:
Sed pretium gemmis majus ab arte venit.
At mea ſedulitas fumos non colligit iſtos:
Si non culpabor, ſat mihi laudis erit.

Atque hic quidem temperare mihi non queo, quin cum poeta comico exclamem, Dii Immortales! Homo Homini quid præſtat! Olor ſiquidem Caledonius, Buchananus, octo tantum verſiculos a Vate Anglicano, quin gratus agnoſceret beneficium, mutuari religioni habuit; quum Graculus contra Anglicanus, MILTONUS ſcilicet, bis mille fere verſiculos, integram puta Tragœdiam, abſque omni beneficii accepti ſignificatione, tacitoque auctoris nomine, (pro ſolenni ſibi more) Vati Caledonio, eidem ſcilicet Buchanano, ſublegere haud dubitaverit.

Syllabus

Syllabus Auctorum, quibus MILTONUS, PLAGIARIORUM PRINCEPS, vel furtim uſus eſt, vel qui ſaltem luculentiſſimam ipſi facem præluxerunt in conſarcinando famigeratiſſimo poemate ſuo, PARADISO AMISSO, unde longe celeberrimam nominis famam immerito eſt ſibi conſecutus.

1 ALCIMI (Aviti) Poemata Sacra. Baſ. 1564.
2 Arioſto (Lodovico) L'Orlando Furioſo. Venet. 1519.
3 Barlæi (Caſparis) PARADISUS, Canticum Solomonis. Item CHRISTUS. Amſ. 1645.
4 Bellianis (Don) Hiſtory of, a Romance.
5 Bezæ (Theodori) Abrahamus Sacrificans. Tragœdia. Amſ. 1599.
6 Buchanani (Georgii) BAPTISTES. Tragœdia. Edinb. 1576.
7 Dracontii HEXAEMERON. Baſil. 1564.
8 Du Bartas his Divine Weeks and Works, tranſlated by Joſhua Sylveſter. London. 1612.
9 Fairfax (Edward) Tranſlation of Taſſo. Lond. 1600.

10 Fa-

11 Falconiæ (Probæ) Commentarii in libros veteris & novi Teſtamenti, ex verſibus Virgilianis conflati. Venet. 1502.

12 Fletcheri (Phineæ) Locuſtæ, ſive Pietas Jeſuitica. Item, The Purple Iſland. Carmen Anglicano idiomate conſcriptum. Lond. 1627.

13 Foxi (Joannis) Chriſtus Triumphans. Comœdia Apocalyptica. Baſil. 1566.

14 Fracaſtorii (Hieronymi) Joſephus. Carmen Heroicum & Sacrum. Ven. 1535.

15 Gamon (Chriſtoph. du) *La Creation du Monde.*

16 Gazæi (Angelini) Pia Hilaria. Auguſtæ Trevir. 1619. Item Londini, 1657.

17 Geometræ (Joannis) Chriſtiani poetæ Græci, *Paradiſus*, Græco-latinus, a Frederico Morello. Paris. 1593.

18 Gower (Sir John) Confeſſio Amantis. Lond. 1550.

19 Grotii (Hugonis) Poemata Sacra, in quibus *Adamus Exſul.* 4to & 8vo. Hagæ, 1601.
Item, 8vo. Lugduni, 1608.
Item, 4to. Amſtælodami, 1635.

20 Guſman d'Alfarache, or the Spaniſh Rogue. Folio. London, 1631.

21 Hakewell's Apology of the Power and Providence

dence of God in the Government of the World. Fol. Lond. 1635.

18 Heinſii (Danielis) Herodes Infanticida. Tragœdia. 8vo. Lugd. 1632.

22 Henæi (Andrææ) *Satanomachia.*

23 Hera y de la Vara (Bar. Valentin de la) *Repertorio del Mundo*, particular de las Eſpheras del Cielo, & orbes Elementales. 8vo. Madritti, 1582.

24 Heywood (Thomas) Hierarchy of the Bleſſed Angels, and *Fall of Lucifer.* Folio. London, 1635.

25 Hugonis (Hermanni) Pia Deſideria. Antverpiæ, 1632.

26 Huſani (Henrici) de *Angelorum Creatione*, dignitate, & officiis, Carmen Elegiacum. Vide Corpus poetarum Germanorum, collectore Ranutio Ghero. 1608.

27 Jounſti (Marci Andrææ) *Samſon Agoniſtes.* Tragœdia. 8vo. Argentorati, 1604.

28 Juvenci (Preſbyteri Hiſpani) Hiſtoria Evangelica carminica. Vide Georgii Fabricii Chemnicenſis Veterum poetarum Eccleſiaſticorum opera Chriſtiana. 4to. Baſil. apud Oporinum, 1564.

29 Langland (John) Viſion of Pierce the Ploughman. London, 1550.

30 Ler-

30 Lermæi (Gabrielis) Gulielmi Saluſtii Bartaſſii, *Hebdomados Sacræ* Interpretatio Carminica Latina. 12mo. Paris. 1573.

31 Lernutii (Jani) de *Creatione Mundi*. Carmen Sacrum. 8vo. Lignitii, 1603.

32 Lucretii (Titi Cari) de Rerum Natura Libri Sex. 4to. Pariſiis, 1570.

33 Malapertii (Caroli) Sedechias. Tragœdia. Antverpiæ, 1634.

34 Manilii (Marci) Aſtronomicon. Lugd. 1566.

35 Mantuani (Joannis Baptiſtæ) Eclogæ. 8vo. Antverp. 1576.

36 Martialis (Marci Valerii) Epigrammata.

37 Maſenii (Jacobi) Palæſtra Ligatæ Eloquentiæ, in qua *Sarcotidos* libri quinque. Colon. 1654.

38 Molleri (Frederici) de *Creatione & Lapſu Angelorum* Carmen. 4to. Lugd. Bat. 1596.

39 Moncæi (Franciſci) Fridevalliani *Heden*, ſive *Paradiſus*. Regiaci Atrebatium. Apud Ægid. Balduinum, 8vo. 1593.

40 Monin (Joannis Edoardi du) *Bereſithias*, ſive *Mundi Creatio*, ex Gallico Gulielmi Saluſtii, Domini de Bartas, Heptamero Sacro Latinis verſibus expreſſa. Par. 1579.

41 Monin (Joannis Edoardi du) l'Uranologie, ou

Le Ciel. 12mo. Paris. 1589.

42 Moravii (Thomæ) Naupactiados, ſive Lepantiados, hoc eſt, Jacobi Steuarti, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regis, de celebri victoria de Turcis ab Chriſtianis Principibus ad Lepantum reportata, Epinicii Metaphraſis Poetica. Vide Delicias poetarum Scotorum, Tomum Secundum. Amſtæl. 1637.

43 Murtola (Gaſparo di) poema della *Creatione del Mondo.* 12mo. Venet. 1608.

44 Naogeorgi (Thomæ) De Luciferi adverſus Deum rebellione, de Paradiſi Amœnitate, de Lapſu Humano, de Caino Fratricida; item de Nimbrotho, truculento venatore, Quinque Satyræ Sacræ. Vide Corpus Germanorum Poetarum.

45 Ovidii (Publii Naſonis) Metamorphoſeon libri. Apud Plantin. Antverp. 1566.

46 Palearii (Aonii) de Animorum Immortalitate Libri tres. 8vo. Lugd. apud Seb. Gryphium, 1536.

47 Palingenii (Marcelli) Stellati poetæ Zodiacus Vitæ, ſeu de Hominis vita, ſtudio, ac moribus optime inſtituendis Libri XII. 16mo. Lugd. apud Torneſium, 1566.

48 Pa-

48 *Paradiſo Perſo*, hoc eſt, PARADISUS AMISSUS. Tragœdia Lingua Italica conſcripta.

49 Patres Veteris Græcæ & Latinæ Eccleſiæ fere omnes.

50 Phædri (Auguſti liberti) Fabularum Æſopiarum libri quinque. 8vo. Lugd. Bat. apud Raphel. 1598.

51 Piſidæ (Georgii) *Opus ſex dierum*, ſeu Mundi Opificium. Carmen Græco-latinum, verſibus Jambicis Senariis concinnatum, vertente Frederico Morello, Typographo Regio. 4to, Par. 1584.

52 Plinii (Caii Secundi) Hiſtoria Naturalis. Folio. Venetiis, apud Manutium, 1559.

53 Poetæ Belgæ, unum in corpus collecti, ſive Deliciæ poetarum Belgarum.

54 ----- Chriſtiani, Ab Aldo Manutio collecti. 4to. Ven. 1502.

55 ----- Claſſici. 4to, Lugd. 1616.

56 ----- Dani.

57 ----- Eccleſiaſtici. 4to. Baſil. apud. Opor. 1564.

58 ----- Galli. 12mo, 3 vol. Genev. 1609.

59 ----- Germani. Collectore Ranutio Ghero, 8 vol. 1608.

60 ----- Græci, nominatim Homerus, Heſiodus, Theo-

Theocritus, Callimachus, Euripides, Sophocles, Æſchylus, Ariſtophanes.

61 ----- Hungari.

62 -----Itali. Collectore Joanne Matthæo Toſcano, 12mo, 2 vols. Paris 1577.
Item Collectore Ranutio Ghero, 12mo 2 vol. Francofurti, 1608.

63 -----Latini. 4to, 2 vol. Genevæ, apud Criſp. 1627.

64 -----Poloni.

65 ----- Scoti. 12mo. apud Janſon. Amſtæl. 1637.

66 Pontani (Joannis Joviani)de *Creatione Mundi* Elegia. Venet. 1533.

66 Prudentii (Aurelii Clementis) Opera. 8vo. Apud Plantin. Antverp. 1564.

67 Quintiani (Joannis Franciſci) opera Chriſtiana, in quibus Theandrothanatos, & Theocriſis. Tragœdiæ. Folio. Par. 1514.

68 Ramſæi (Andrææ) *Poemata Sacra*, ſive de Rerum Creatione; de primigenia Hominis Felicitate in ſtatu Innocentiæ; de Lapſu Protoplaſti, & omnium in eo Poſterorum; denique de Humani Generis Reparatione per Chriſtum Ieſum. Libri IV. 8vo. Edinburgi, 1633.

69 Remigii (Nicolai de Dæmonolatria Tractatus. Coloniæ, 1606.

70 Roſſæi (Alexandri) Virgilius Evangelizans. Libri XII. 8vo. Londini, 1638.

71 Roſeti (Petri) Poetæ Laureati, CHRISTUS. Poema Sacrum. 8vo. Apud Colin. Par. 1534.

72 Saluſte (Guillaume) Seigneur du Bartas, Poeme ſur la *Creation du Monde*. 8vo. Paris. 1584.

N. B. Hujus præſtantiſſimi poematis ſacri prodiere verſiones Latinæ tres, Gabrielis nempe Lermæi, Joannis Edoardi du Monin, denique Hadriani Damanis a Byſterveldt, Domini de Fairhill: Item Danicæ duæ, vertentibus Areboo, & Joanne Wilhelmio, teſte Olao Borrichio: Item Italica, Hiſpanica, Anglica, vertente Joſhua Sylveſter, plures ut taceam ejuſdem poematis Commentatores, diverſis linguis.

73 Sandys (George, Eſquire) Paraphraſe on the poetical Books of the Old Teſtament. Folio. London, 1637.

--------- Travels, Folio, London, 1637.

--------- Commentary on his Tranſlation of Ovid's Metamorphoſis. Folio, London, 1632.

--------- Notes on his Tranſlation of the CHRISTUS PATIENS of Grotius; or a Tragedy on CHRIST's PASSION. 8vo. London, 1640.

74 San-

74 Sannazarii (Jacobi) *De partu Virginis.* Poema Sacrum. Libri tres. Ven. 1535.

75 Scriptores Sacri Veteris & Novi Teſtamenti, variis in locis, diverſisque temporibus excuſi.

76 Sedulii (Cœlii) Scoti, Poemata Sacra. Baſileæ, 1542.

77 Shakeſpear (William) Plays. London, 1623.

78 Sidney (Sir Philip) Arcadia.

79 Soucy (Franc. du) Projet du plan de *la Creation du Monde*, ou l'on verra quantite de Curioſitez inouies, & pluſieurs Merveilles du *Paradis terreſtre.* Paris. 1651.

80 Souſa (Joannis Mellii de) Luſitani, de Miſeria Hominis, deque Reparatione Humana Carmen. Poema Sacrum. 12mo. Lugd. Cardon. 1615.

81 Spenſer (Edmund) Poems. Lond. 1597.

82 Staphorſtii (Caſparis) Triumphus Pacis, ſive Carmen Epicinium & Protrepticum de Bello Britannico, ejuſdemque fœlici exitu. 8vo. Dord. 1656.

83 Steuart (James, King of Great Britain) His congratulatory Poem on the Victory over the Turks by the Chriſtian Powers at Lepanto. Edinb. 1590.

84 Straſburgi (Jacobi) Hypotypoſis Divini Judicii contra Lapſum Hominem, accuſante hinc Genus

Genus Humanum Juſtitia & Veritate, inde defendente Miſericordia & Pace.

85 Ejuſdem Straſburgi CHRISTI VICTORIS cum Diabolo, in deſerto, pugnæ Deſcriptio poetica. 8vo. Lipſiæ, 1565.

86 Summary on Du Bartas's *Weeks and Works.* Fol. Lond. 1621.

87 Swan (John) Speculum Mundi, or a Glaſs repreſenting the Face of the World. 4to. Cambridge, 1635.

88 Sylveſter (Joſhua) his Tranſlation of Du Bartas's *Divine Weeks and Works.* 4to. London, 1612.

89 Taubmanni (Frederici) Melodæſia, ſive Epulum Muſæum; in quo *Bellum Angelicum.* Libri tres. 8vo. Lipſiæ, 1604.

90 Thuani (Jacobi Auguſti Æmerii) *Parabata Vinctus*, ſive *Lucifer Catenatus*, hoc eſt, TRIUMPHUS CHRISTI. Par. Typis Rob. Stephani, 1595. 8vo.

91 Taſſo (Torquato) *Le Sette Giornate del Mundo Creato.* In Milano, 1608. 12. 16. Venet. 1608. & 24. ibid. 1609.

92 ------ La Gieruſalemme Liberate con la Vita di lui, & le Annotationi di Scipione Gentili, & di Giulio Guaſtavino. 4to. Padoua, 1628, con le figura.

93 Valmaranæ (Odorici) *Dæmonomachiæ*, ſive de Bello Intelligentiarum ſuper Divini Verbi Incarnatione, Libri XXV. Viennæ Auſtriæ, 1627. 12o.

94 Victoris (Claudii Marii) Paraphraſis in Geneſin Metrica. Apud Opor. Baſil. 1564. 4to.

95 Virgilii (Publii Maronis) Opera, cum Commentario Servii. Folio. Paris. Apud Robertum Stephanum, 1532.

97 Ziegleri (Hieronymi) Tragœdiæ Sacræ; in quibus *Protoplaſtus*, ſive *Lapſus Adami*.
Item, *Samſon Agoniſtes*. Auguſtæ, 1547. 8vo.

Cum ſexcentis aliis, qua ſacris, qua profanis, qua antiquis, qua recentioribus, qua denique ſtricta, qua ſoluta oratione ſcriptoribus. MILTONUS enim, immoderatum Primorum Parentum adpetitum erga fructum vetitum (quem tamen carmine ſuo ſatis acriter perſtringit) æmulatus, ab nullo fructus modo grati, modo placentis, utcunque ſacri, prohibiti, alieni, genere manus ſibi temperare, animum induxit obduravitque ſuum. Et adhuc, ſcilicet, (ſi Diis placet!) mirabimur famigeratiſſimum MILTONI carmen ubique fere ſummo in pretio haberi, honoribuſque tantum non divinis coli, in quod operis CONSACRINATOR,

TOR, furtiva manu, nullaque prorſus verecundia, univerſæ eruditionis penum aliorum ex lucubrationibus, tacitis interea temporis, non ſine ſummo tamen ſcelere, illorum ſcriptorum nominibus. Ingrati animi notam homo Ethnicus MILTONO, utut Chriſtiano, probo, integro, (credat Judæus Apella) imponit, cujus eſt ſequens ſententia. *Ingenui eſt Hominis profiteri per quos profeceris.* Ita eſt profecto!

Sed a grati animi vitio, tota certe vita, alieniſſimus omnino MILTONUS ævum tranſegiſſe videtur. Hoc autem ne gratis, nulloque idoneo innixum fundamento, protuliſſe exiſtimer, ad evincendam criminationis meæ veritatem, conſidera mihi, ſodes, quam falſe MASENIO, (cujus pulcherrimum opus, SARCOTIDA dictum, compilare peſſimis modis haud dubitaverit, uti jam non ſemel obſervatum eſt) totique adeo ejus Societati illuſerit; quam item Patres Sanctiſſimos veteris Græcæ ac Latinæ Eccleſiæ, (quorum tamen ſententias ſubinde ſublegere, iiſdemque ſcripta ſua exornare, religioni haud habuerit) dicteriis proſcindat, uti animal erat ad maledicendum natum. Hoc etiam eſt MILTONO ſollenne quaſi ac perpetuum, probiſſimos quoſque ut lancinet maledictis, pioſque per calumniam opprimat: quo autem contra ſceleratior quiſque ſit, promptiorque

ad

ad malum manu, eum pluribus iſte laudibus celebret, ad cœlumque quaſi tollat; uti videre eſt in peſtilentiſſimis ſuis ſcriptis, Latina Lingua exaratis, quæ ſcatent ubique encomiis flagitioſiſſimi deterrimque mortalium CROMWELLII, multo corruptiſſimæ Tyranni memoriæ; Sanctiſſimi vero Principis, Beatiſſimique Martyris, CAROLI STUARTI vituperatione, nulla non pagina intumeſcant. Atque hanc ob cauſſam ab eruditiſſimo integerrimoque viro, Petro Duboſcio, Verbi Divini apud Gallos celeberrimi nominis miniſtro, adhæc oratorum ſui ſæculi facile principe, atque poeta inſuper elegantiſſimo, acuto ſalſoque ſimul epigrammate, condigno ſane maledicentiæ ſuæ præmio, ſceleſtiſſimus MILTONUS pro merito notatur. Id epigramma, uno tetraſticho comprehenſum, Lectoris hic oculis ſubjicere haud abs re fore videtur.

Non mirum, rabido ſi Reges impetit ore
MILTO: vocat Reges pagina ſacra Deos.
Eſt Atheus MILTO; Regum hinc acerrimus hoſtis:
Vellet quippe omnes tollere poſſe Deos.

PARAPHRASED.

No wonder MILTON Kings ſhould thus defame;
Since Kings the Sacred Scripture Gods does name:
MILTON's an Atheiſt, hence to Kings a Foe;
And hence all Gods, enrag'd, would overthrow.

TESTI-

TESTIMONIA DOCTORUM

ALIQUOT

VIRORUM DE AUCTORIBUS,

HOC IN DELECTU QUI EXHIBENTUR.

TESTIMONIA de JACOBO MASENIO.

Dictionaire de Morreri, 8 vol. Folio, a Amſterdam, 1740.

MASENIUS, (Jacques) naquit en 1606, a Dalem, dans le Duche de Juliers, & ſe fit Jeſuite en 1619. Il mourut vers la fin du XVII ſiecle, laiſſant les Ecrits ſuivans, *Continuatio Annalium Triverenſium Broweri*; *Gretſerus redivivus*; PALÆSTRA LIGATÆ ELOQUENTIÆ; *Meditata Concordia Proteſtantium*, in Octavo; *Nova Praxis Orthodoxæ Fidei*; *Dux Viæ*; *Speculum imaginum veritatis per Symbola*; *Palæſtra Styli Romani*; *Exercitationes Oratoriæ*; *Ars nova Argutiarum*; *Raſtrum Horti Cruſiani*; *Methodus controverſias*

troverſias Fidei conciliandi. Il publia ce dernier ouvrage ſous le Nom ſuppoſé de Semanus. Soti-vel Biblioth. S. J. Dict. Aleman.

GEORGII MATTHIÆ KONIGII Bibliotheca vetus & nova. Aldorfi, Anno 1678. Folio.

MASENIUS (JACOBUS) Anno 1661 floruit. Exſtat ejus PALÆSTRA ELOQUENTIÆ LIGATÆ tribus libris.

OLAUS BORRICHIUS. Diſſertatio de Poetis.

JACOBUS MASENIUS de ſtudiis literatæ juventutis præclare meritus eſt, luculentis præceptionibus poeticis: quo duce, qui in Epicis, Elegis, Lyricis, Comicis, Tragicis, Emblematis, Epigrammatis, exſurgere deſiderant ultra mediocritatem, non ſine inſigni fructu utentur. Reliquit & ipſe poemata varii generis, in quibus vis elocutionis vivida, graves vibranteſque ſententiæ, multum & ſanguinis & nervorum.

JOANNIS

JOANNIS GOTTFRIDI HAUPTMANNI Faſciculus Carminum Latinorum. 8vo. Lipſiæ, 1742.

JACOBUS MASENIUS in *Palæſtra Eloquentiæ Ligatæ* P. II. de poeſi eleg. c. 4. p. m. 12. Quos tibi hic, caſte lector, tuto ſatis auctores proponam, ambiguus hæreo. Innocentia adoleſcentum pudorque honeſtus, res eſt vitro fragilior, ad poetarum amores, quos veteres ubique ſpargunt, veluti ſcopulum alliſa, frangitur, ut multi, cum ex his diſcunt, pereant. Quare veteres illos, qui in hoc genere ſcribendi laudantur maxime, ut Ovidium, Tibullum, Propertium, niſi obſcœnitate & amoribus proſcriptis, juventuti non ſuaſero.

TESTIMONIA de CASPARE BARLÆO.

BAYLE's Dictionary. London, 1735.

BARLÆUS (GASPAR,) Nephew of the preceding Melchior Barlæus, was Profeſſor of Philoſophy at AMSTERDAM, and one of the beſt

LATIN

Serpentis conterat (ut in Apocalypſi eſt) omnibus donis a Deo ornatam, tanquam Pandoram alteram, cui ſingulæ S. S. Triados Perſonæ ſuas dotes conferant, inſtruxeris; quæ ſuis Virtutibus contra Luciferum, ejuſque aſſeclas, ab Inferis erumpentem armata, victum ſubigat, Amoris divini arte & auxilio? Quid ſi etiam ultimus Antichriſti Dæmonem ex Inferno advocantis apparatus, pari arte exhibeatur? Quid ſi Eliæ (quod primæ libri parti accommodum) ex hoc orbe ad Paradiſum tranſlatio, ejuſque illuc cum Enocho jucunda ſocietas? Aut vero etiam eorum ex Paradiſo ad terram, contra Antichriſtum pugnaturorum, reductio hac ratione exponatur? Quæ enim futura ſunt, vates partim ex Angelorum oraculis, partim in ſomnio, raptu, aut objecta imagine prævidere poterit, non ſine fictionis gratia.

NOTÆ MARGINALES AD LIBRUM PRIMUM.

PROPOSITIO. Invocatio divini numinis. Orbis, & eorum, quæ in orbe univerſim geruntur, deſcriptio. Paradiſi deſcriptio. Hominis primi creatio, ejuſque deſcriptio. Comparatio figuli cum creatore Deo. Comparatio floris cum naſcente homine. Rationis imperium. Formæ pulchritudo. Virtutes homini adjunctæ. Forma rara. In pratis deliciari flores inter & fructus. Oratio Luciferi, invidi & indignantis, ob homines ſibi in felicitate prælatos. CONCILIUM INFERORUM. Mors, morbi, ſenectus, cura, labor, luctus, paupertas, fames, dolus. Oratio Luciferi, dæmones adverſus hominem inflammantis. Inferno erumpentes furiæ. Comparatio ventorum & undarum cum erumpentibus per vim. Luciferi habitus & currus.

LIBER

LIBER II.

Brevis Libri Resolutio.

Hiſtoria. Cacodæmon per fraudem, hominem in Serpentis ſpecie aggreſſus, perſuadet pomi a Deo vetiti eſum. Homo igitur, fruſtra Dei conſpectum fugiens, ſuamque nuditatem foliis obtegens, punitus, & de Paradiſo ad terram labore ſuo excolendam ejectus eſt. Serpens etiam maledictionem pœnamque eſt promeritus.

Poeſis. Educuntur ab Antitheo infernales acies in Paradiſum, ac præmittitur ficto habitu, perſonaque ac moribus inſtructus Dolus, qui Sarcotheam ad vetitam arborem, & Antitheum illic inſidioſe ſub ſerpentis forma latentem deducat; denique venenata Amoris proprii ſagitta tactam, Diancœa, ſive Ratione, ſimul blandiente, impellat. Quo conſilio adductus Homo, prodigioſo etiam Serpentis incitatus oraculo, vetiti pomi eſu, divinas humanaſque leges violavit. Simul orbis cum omnibus elementis turbari mutarique cœptus, ſimul omne malum, & Dæmones ab inferis in orbem effuſi. Ne tamen victa Sarcothea ab Antitheo in orcum viva abſtraheretur, Arete ſeſe, cum divina Pronæa, ſive Providentia, Antitheo objecit, repulitque ultimum exitium intentantem; quanquam Themis, Antithei furorem & Sarcotheæ perfidiam accuſans, ſeſe orbi, in Cœlum elata, ſubduxerit. Sarcothea cum Diancœa, male ab Antitheo tractata, Dei inquirentis conſpectum ſubterfugit; hæc etiam nomen Metancœæ fruſtra, ut lateret, ſumpſit. Sorores reliquae, praeſertim Agape, multis vulneribus male tractatae, omnes denique Paradiſo exturbatæ, atque a Fame afflictae,

afflictae, inprimis Sarcothea, vix hoſpitium apud duram parcamque Dominam Tellurem repererunt, quæ ſervituti illam ac miſeris ruſticorum laboribus mancipavit.

Ornamenta. Deſcriptio, 1. primaevi orbis a tempeſtate, bellis ac morbis immunis. 2. Doli fictam Amoris perſonam aſſumentis. 3. Dubitantis in ſcelere. 4. Concuſſi orbis. 5. Duelli inter Areten & Antitheum. 6. Sarcotheæ, & comitum, paradiſo ejectæ. 7. Famis affligentis, & duræ Telluris. 8. Agriculturæ, & orbis ſine auro & lucro pacati. Deinde Orationes uſurpatæ. 1. Doli eſum pomi vetiti ſuadentis. 2. Aretes & Themidis de Antithei vi querentis. 3. Oratio deſperantis Sarcotheæ. 4. Dei Sarcotheam & Serpentem punientis. 5. Hominis in fame hoſpitium poſtulantis. Denique, comparatio Dei cum paſtore ovem perditam quærente.

Imitatio. Chriſtus naſcens pacem Orbi inferat, contra quem Lucifer Ambitionem regni, ſub Pronœæ, aut Virtutis ſpecie deſtinet, quæ Herodem ad cædem Innocentium inflammet, tota Judæa tam funeſta clade turbata, Juſtitia terras deſerente, Herode, ulciſcentibus Furiis, ac morbo, ad deſperationem verſo.

Vel Synagoga Calumniam ſub Veritatis imagine, aut Odium ſub Amoris ſpecie deſtinet, ut Chriſtum impietatis apud Pilatum accuſent, quem immeritæ damnatum neci, totus orbis, concuſſis elementis teſtetur, ſed Chriſtus ex morte victor Luciferum victum ab Orbe profliget, ad inferos ableget, Juſtitia in mundum reducta, & Paradiſo hominibus patefacto. *Vel* Deiparæ Angelus cœleſtis Sponſi Amorem, pomo lilioque

lilioque in casti amoris symbolum ex Paradiso oblato, nuntiet. Illa dubitans victas denique manus det; toto orbe novis nuptiis pace frugumque copia applaudente. Lucifer hunc partum impedire conatus, a Virtute Dei superetur; qui, desperans dejectusque Mundo, ad Orcum pœnasque æternas proturbetur. *Vel* denique, Luciferi per Amorem proprium decepti, atque a D. Michaele ex cœlesti Paradiso proturbati, atque ad infernalem servitutem abjecti, lapsus exponatur. Erit & locus exprimendi Prodigi, per Voluptatis Lenocinia primum capti, deinde & a vitiis, profligata omni virtute, superati, postremo fame victi. Ita Lutherus, per Heresim Religionis specie oblatam deceptus, totum orbem nova doctrina concutiens, evertensque, prostrata Fide & Justitia, Ecclesiam, a qua ipse denique exturbatus, exemplum pertinacis arrogantiæ reliquit.

Notæ marginales ad librum secundum.

Orbis a tempestate, bello & morbis principio immunis. Lucifer, oblato pomo, hominem seducendum suadet. Dolus amoris specie indutus. Oratio Doli, vetiti pomi esum suadentis. Dubitans in malo Sarcothea mox victas dat manus. Orbis concussio, ac mutatio, in quem omne malum irrupit. Virtus sese Lucifero oppositi, eumque repressit. Pugnæ & clades. Justitia fugata, ejus oratio ac querela mundum deserentis. Dei paradisum ingredientis conspectum homo fugit. Vox Dei potens. Desperantis ad Deum fugientis oratio. Comparatio Dei cum pastore ovem quærente. Dei hominem ac serpentem increpantis, & punientis oratio. Homo paradiso exturbatur. Famis imago turpis. Fame adfligi. Tellus, ejusque descriptio. Oratio hominis opem in fame implorantis. Tenuis mensæ adparatus. Homo labore rustico panem suum meretur. Terra sterilis. Ætas prima sine auro, lucro, ac bellis.

LIBER III.

Brevis Libri Resolutio.

Hiſtoria. Hoſtis humani generis Hominem perſequitur, atque per Amorem proprium ad omnia ſcelera, ipſorumque etiam Dæmonum cultum ſeducit. Poſt Idololatriam vero, inprimis Superbia toti orbi dominatur.

Poeſis. Antitheus inter Orci Proceres totius mundi imperium ita partitur, ut ipſe ſibi ſub Jovis nomine Cœlum, alteri ſub Plutonis titulo Inferos, tertio ſub voce Neptuni Mare, alijs alia, cum ſumma poteſtate attribuat, quo divinum ſibi honorem, obliterata unius Dei memoria, vendicent. Quod conſilium per Philauti, ſive Amoris proprii, cum Sarcothea parente conjugium expedire ſtatuit. Hunc a Tiſiphone educatum, & a Diis Infernalibus ad fraudem inſtructum, Sarcothea in ſuæ formæ, ſub aquis ſpectatæ, imagine, per Philautum animata, complectitur, atque ex illo variam ſobolem vitiorum concipit, ſeptem inprimis filias, vario deinde hominum generi connubio junctas. Ex quibus Superbia, Regibus in matrimonium data, in oriente ſedem fixit, magnificumque extollere cum palatio, vitreo fundamento innitente, regnum cœpit, unde toti humano generi imperaret. Quod imperium magno ſuo faſtu, cum pernicie multorum auſpicata, Iactantiæ, Contumaciæ, Hæreſis, atque in ipſos etiam Superos Rebellionis origo, non paucos peſſumdedit, in quibus Alexander Magnus, Xerxes, Babyloniæque turris molitores Gigantes.

Ornamenta. Deſcriptiones. 1. Deorum Gentilium, eorumque regnorum, & ſacrificiorum. 2. Amoris proprii perſonæ, tum ſeipſum amantis hominis. 3. Malorum ex proprio Amore provenientium. 4. Palatium exædificantium, ejuſque magnitudinis & excellentiæ. 5. Superbiæ, & habitus illius, formæ, ac morum inſolentium. 6. Jactantis nobilitatem generis. 7. Jactatoris militis. 8. Contumacis Hæreſis. 9. Brevis fortunæ Superborum. Deinde oratio Luciferi impietatem ſuadentis. Denique comparationes. 1. Scintillæ gliſcentis cum Amore. 2. Bucephali & Pavonis cum arrogante.

Imitatio. Æterna Dei Sapientia, videns Hominem Dæmonum cultui miſere ſubjectum, ſui ipſius in illo imaginem obſervans, amanſque, cum illa per incarnationem copulata, egregiam concepit ſobolem, atque in eis Philandriam & Tapinoſin, ſive Amatricem Hominum, & Humilitatem. In quibus hæc præcipue, tanquam Amazon fortiſſima, elatum Superbiæ humanæ palatium ex humili caſa oppugnavit, dejecitque, demiſſa ſpecie & humili cultu par & familiaris infimis, magnam poſt ſe hominum vim traxit, qui Faſtum omnem, Contumaciam, Hæreſimque facile debellarunt.

Vel Religioſus homo, *v. g.* Joſaphatus Indorum Rex, Animæ propriæ pulchritudine atque immortalitate captus, adverſus propriam carnem, tanquam hoſtem capitalem, & vitiorum omnium matrem armetur, expugnetque Ratione Concupiſcentiam, Voluntate Appetitum, atque in honeſtam ſervitutem redigat. *Vel* ipſæ in aciem educantur Virtutes & Vitia.

Vitia. Amor proprius cum Divino, Demiſſio cum Superbia decertent. Aut certe nobile illud connubium Sapientiæ Divinæ & Laurentii Juſtiniani, quod ipſi per viſum oblatum eſt, cum Vitiorum profligatione & exſilio repræſentetur. *Aut* denique Luciferi, per Amorem proprium, & Superbiam, qua Deo ſeſe prætulit, elati, inſania adumbretur. Par locus Nabuchodonoſori, ſuæ Babylonis ædificiis & cæteris regni dotibus ſuperbe ſeſe efferenti, ac demum amore bruto in brutum degeneranti, futurus eſt. *Neque* Calvino amore proprio & ſuperbia ad novæ Eccleſiæ fabricam, quæ operis boni nihil haberet, intento, his in exemplis locus opportunus deerit.

Notæ Marginales ad librum tertium.

Propositio. Lucifer, abrogato Dei unius & Cœleſtium Mentium, rebus creatis a Deo præpoſitarum, obſequio & honore, de cultu Dæmonum ſub certis Deorum nominibus in mundum introducendo, cum ſuis deliberat. Victimæ Deorum. Philauti, ſive Amoris proprii origo & ingenium. Seipſum amantis deſcriptio. Comparatio ſcintillæ inflammantis cum Amore primo. Ex Amore proprio luxus, omniaque in orbem vitia prodiere. Varii variis addicti in orbe vitiis. Per ſcelera Dæmonum in orbem invectus cultus. Eloquentiam ſuperant flagitia. Sol oriens. Palatii Superbia inventrix. Ejus ſtructura & magnificentia. Orbis miracula. Emblemata ſuperborum animalium. Superborum labor vanus. Superbiæ imago. Comparatio Bucephali cum arrogante. Comparatio Pavonis cum arrogante. Veſtis pretioſa & varia. Culta cæſaries & facies. Nobilitas generis jactata. Famam inanem captare. Superbia varios habet aſſeclas, aliis corporis, aliis animæ bona inquinans. Divitiæ & honores ſuperbos faciunt. Jactatores vani. Superbi contumaces ſunt. Hæreſis ex Superbia eſt, ejus imago & malitia. Faſtus inobedientes facit. Superbe elati ſæpe ruunt. Gigantes, ſive Babylonitæ, ſuperbi adverſus Superos inſurgunt. Luciferum Superbia præcipitavit.

SARCOTIDOS

LIBER I.

PRINCIPIUM culpæ, Stygiæque tyrannidis ortum,
Et quæ fera premant miſerandos fata nepotes,
Servitio turpi ſcelerum, pœnaque malorum,
Pandimus. O Sacræ Moderatrix Diva Poeſis!
Quæ citharæ quondam nervos, artemque regebas
Jeſſiadæ, faciles ad carmina ſuffice vires.
Non mihi Pieridum limphæ, Cirrhæque receſſus,
Nec Phœbea placet laurus, nec oliva Minervæ,
Pegaſeuſve liquor, priſcorum ſomnia Vatum!
Pro Muſis Divina Parens, pro culmine Cirrhæ
Major Olympus erit; fundet mihi dulcior undas
Gratia, Palladium vincet Sapientia Numen.

Tu cœptis, O Diva! fave, noſtrosque labores
Dirige, inoffenſo per ſecula priſtina curſu.
Quo me cumque rapis, ſequar impiger: omnia namque
Te ductrice patent, rerumque occulta tueris,

Prima

Prima Opifex! noſtræ ſpectatrix prima ruinæ!
Audior? En! facili rapior per inane volatu,
Tellurem ſuper, & liquidam ſuper ætheris auram,
Trans avium Boreæque vias. Jam ſidera præter
Ambulo, nimborumque domos, & fulminis aulam
Tranſgredior, ſupraque polos, flammasque micantes,
Innocuos calco plantis audacibus ignes.
Ecce! oculos animumque ſubit, quodcumque coercet
Æquor, & Oceanus flexis interluit undis,
Aut cingit ſpumante ſalo: ſeu nomina ſervet,
Seu titulos cum gente ferat, mutataque verrat
Littora, & Heſperium pelagus confundat Eoo.
O parvi menſura ſoli! nimiumque coacta
Terrarum infuſo moles circumflua ponto!
Ut mortale ruit ſtudia in contraria vulgus,
Devotumque ſuis, lymphato pectore, curis
Incubat infelix! Pars hæc poſtrema laborum,
Aſtriferos orbes, & celſa mente Tonantem
Ferre Deum, Cœlique animo ſecreta tueri.
Præſenti impendunt oculos, procul omne futurum
Deſpicitur, tardumque movent ventura timorem.
Hic levis inflati ventis agitatur honoris,
Paſcitur & vacuo, magnumque affectat inane,
Regum aulas auresque ſequens. Vento alter amoris
Navigat, & Cypriis Sirenas captat in undis,
Donec inexpertis ſcopulis perituru adhæret.

Hunc

Hunc auri pretioſus amor, pulchrique cupido
Foenoris aggeſtis facit impalleſcere nummis,
Divitiis inopem, curiſque ingentibus ægrum.
Hic partis fruitur, patriamque eviſcerat arcam,
Curarum impatiens, & Bacchi mollis amator.
Hos ſumpto juvat ire ſago, vibrare ſariſſas,
Arma ciere virum, ferroque laceſſere Martem.
Hos piget inſanis corpuſque animumque periclis
Objicere, & vitam ſubito damnare ſepulchro.
Ille ſolum populare vago faſtidit amore,
Ignoti cupiens, peregrinaque littora viſens:
Sed brevis hic furor eſt, rurſum faſtidia retro
Palantem revocant, ac nota in tecta reponunt.
Incertis rapimur. Ducit ſua quemque voluptas.
Hic vovet uxorem thalamo, quam devovet alter
Exſtinctam tumulo. Steriles petit alter amores;
Fœcundos alius, patriaque in ſede nepotes.
Hic ſenium exſpectat, rugaſque in fronte ſeniles:
Hunc pudet ætatis, canoſque abſtergit inertes,
Indigna ſenibus mentitus imagine formam.
At quæ ſumma mali eſt, vitæ hoc diſcrimina raros
Criminis expertes faciunt, vacuoſque doloris.
Vivendo morimur. Magnarum tædia rerum,
Et belli morbique vices, ſeniumque juventæ
Incumbens, reſecant lætantum in ſemine meſſem.
Quantumcumque fluat rebus fortuna ſecundis,

Momento

Momento refluit, totuſque evertitur axis.
Mobilitas immota manet. Nil certius uno eſt,
Certum ſtare nihil. Quin & moderamine cœlum
Inconſtans proprio, rutilo nunc explicat auro
Solis equos, pulchraque rotas in luce coruſcat:
Nunc atro obſcurum nebularum ſqualet amictu,
Obnubitque jubar: Zephyro nunc ſpirat amico
Nunc furit adverſo Borea: nunc rore ſuavi
Liquitur, humentes Auſtro nunc laxat habenas.
Sola manet miſeris tantum conſtantia rebus.
Tu mihi, tantarum interpres Sapientia rerum!
Tam duros hominum caſus, tot in orbe laborum
Principium memora, cauſſaſque evolve malorum.

Umbrarum Princeps, & opaci Rector Averni,
Antitheus, quondam æternas damnatus ad umbras,
Proſcriptuſque polo, cum cæco Marte Tonantem
Infelix peteret, ſuperoſque laceſſeret audax,
Ærea concuſſis laxavit vincula clauſtris,
Carceribuſque pedem rurſum extulit, ore minaci
Armataque manu naſcenti triſtia mundo
Bella movens, latamque ferens toto orbe ruinam.
Invida livoris rabies, mentiſque venenum!
Ambitio, tantos potuit concire furores
Antitheo, tantos bellorum extollere fluctus!
Eſt locus auroram propter, roſeumque cubile

Tethyos,

Tethyos, & nati clara incunabula Phœbi:
Protopatri natale ſolum, quo primus in agro
Luſit, & innocuæ libavit gaudia vitæ.
Hortorum decus hic, & amœni gratia ruris
Vernat, inoffenſo nunquam ſpoliata decore.
Quidquid Achæmenio nares demulcet odore,
Blanditurque oculis, veriſque meretur honorem,
Hoc Charites poſuere loco. Domus ipſa Favoni eſt,
Plaudentis levibus per aprica ſilentia pennis.
Exſulat omnis hiems. Nullis vexata procellis
Hic roſa ſuccumbit; nullo expalleſcit ab Euro
Naſcendo moriens; non Sirius ardor anhelam
Decoquit, aut rapto flacceſcit languida ſucco.
Inviolatus honos violæ eſt, & tota juventus
Chloridis æterno pandit labra florida riſu.
Nullus Hyperboreo Boreas glacialis ab axe
Infeſtas ventorum acies, niviumque procellas
His infundit agris, nullis hic cana pruinis
Arva rigent, nullo coaleſcunt frigore limphæ.
Aurea perpetui ſurgunt palatia veris.
In medio laxatur humus; fontemque perennis
Spirat aquæ, lateque ſinum telluris inundat,
Infundens avidis felicia balnea pratis.
Flumine quadruplici manat fons, divite ripa,
Quem vehit illimes complectens alveus undas.
His fœcunda vadis, atque obſtetricibus auris

Tellus læta parit; nulliſque exercita raſtris,
Reſpuit agricolas, & duri vomeris uſum,
Naturæ contenta bonis, Zephyrique favore.
Pomiferis late ſilvis, & fructibus omnem
Implet ager campum, nec marceſcente vigore,
Poma ſub æternis nutant argentea ramis.
Blanda voluptatis conceſſaque munera, vitæ
Præſidium, facilisque neci medicina fugandæ.
Hic indulta Diis, verum mortalibus arbor
Interdicta viret: pulchros habet aurea fructus,
Præſagosque malique, bonique, omnisque futuri.
Heu! comperta nimis memoro, dudumque probata.
Poſteritas mihi teſtis erit, magnusque parentum
Ordo docet. Tantis etenim pulcherrima campis
Sarcothea, infelix virgo! ac lacrymabile nomen!
Sarcothea his præerat cuſtos, heresque perennis,
Ni male conſultas pandiſſet fraudibus aures,
Hoſtibus auſcultans, & fœdera pacta relinquens.
Hanc conſanguineam terræ, maſſamque rubentis
Informem limi, primo Sapientia rerum
Artifici finxiſſe manu, formamque dediſſe
Creditur ipſa ſuam, Diſque immortalibus unam
Æquaſſe, ut dignam patriæ tranſcriberet aulæ.
Quale laborata figulus tellure figurat
Auctor opus, dextraque lutum, argillamque tenacem
Fingit, & accenſis ductam fornacibus urit.

Gleba

Gleba rudis primum eſt, & terræ pondus inertis,
Formatum tamen arte placet, menſaque repoſtum
Exornat niveis inſtructa triclinia vaſis.
Qualis & informi vernus flos naſcitur agro,
Ac lutea exoritur maſſa, quem fertilis hortus
Concipit, & Cœlum fœcunda parturit aura.
Primum nympha rudi ſeſe lanugine veſtit,
Lactentes poſthæc calyces, herbamque comantem
Explicat, & gratam foliorum porrigit umbram,
Horti delicium, vel aprici gloria ruris.
Talis virgo fuit, patria tellure creata.
Vitales primo thalamos in corde locavit,
Sedem animæ, ac puræ ſenſata cubilia vitæ,
Infeſtis removens Acherontica ſemina noxis.
Tum cerebri diſponit opus, mentiſque ſupremum
Ordinat imperium, & rationis collocat arcem,
Quam circumfuſam tenebris caligine denſa
Eruit, æternaque dedit clareſcere luce.
Hanc regere imperium juſſit, ſceptrumque potiri,
Membrorum dominam, vitæ morumque magiſtram,
Obſervantem æqui, ac legum decreta ſequentem.
Huic tempeſtates animi, fluctuſque tumentes
Irarum mulcere datum eſt, fœdoſque voluptæ
Inſultus, ſcelerumque auſus compeſcere freno.
Inſuper humanos vultus, & frontis honorem
Auguſtum, raræque decus memorabile formæ

Ipſa dedit: niveas ornabat purpura malas,
Et mixtus candore rubor, pulchriſque roſarum
Gratia vernabat labris, ac luce ſerena
Caſta renidentem decorabant lumina vultum.
Junĉta venuſtati majeſtas blanda decorem
Auxerat, ætherioque probabat ſemine natam.
Par cervicis honos: flaventes lactea circum
Paſſa comas, eboris ſparſo decus addidit auro,
Perque humeros ſpargente Noto, niveoſque lacertos,
Pectoraque, inveſteſque ſinus errante capillo,
Cæſaries levibus plaudebat ludicra ventis.
Cetera membrorum ſeries ſpectanda, nec ullis
Veſtibus obnubis, nulloque obſtricta pudore.
Caſtum tota decus: famulantibus artubus uni
Reginæ menti. Nulli tam conſona Divæ
Forma fuit: nil diſtorto ſubſidit hiatu:
Nil tumet aſperius, totum Charis explicat una.
Exemplo caruit tantæ concordia mentis,
Et formæ conjunctus honos, ſordeſceret Eſther,
Et turpis Suſanna foret, neglectaque Judith,
Si junctæ ruerent ſimul in certamina formæ.
Illa igitur, decus una ſoli, ſpeſque una polorum,
Progenies Superum, per læta roſaria campi,
Inter & illecebras oculorum, atque aurea Tempe,
Pomiferas late ſilvas, lucoſque virentes
Luſtrat, & innocuum ſpectatrix paſcit amorem.

Nympharum

Nympharum hanc aderant circum pulcherrima turba,
Sarcotheæ comites, Areteque, Themiſque, Agapeque,
Excelſique animi Dianœa, & neſcia culpæ.
Prima Arete ſuſpenſa ſinus, flavumque coercens
Impoſita crinem galea, clypeataque pectus
Armatum, ſacram dextra vibraverat haſtam.
Nec minor ire Themis (quamvis concederet armis)
Viſa fuit, nuda illa quidem, fugienſque decoris,
Expertem fuci vultumque animumque ferebat:
Pura tamen niveum velabat purpura corpus,
Purpura Luciferi turpem complexa ruinam,
Ingenio formantis acus: nec prorſus inermis
Enſem dextra tulit, viridem manus altera palmam.
Juncta dein Agape Dianœæ, dulce ſororum
Utraque par; illa ornatu ſpectabilis aureo;
Hæc nivea teneros artus circumdata byſſo:
Æmula Phœbeis illi duo lumina flammis,
Labra roſis, ebori cervix, malæque pruinis:
Huic lactis per colla decus, perque ora nitebant
Lilia, ſiderioque agnata modeſtia vultu.
Omnibus unus honos formæ, ſtirps una decorum eſt,
Omnes Sarcotheam per amœna vireta ſequuntur,
Et ſocias carpunt violas, plectuntque roſarum
Serta, coronatos blande vinctura capillos.
Perdit odoratas decerptus Amaracus umbras,
Narciſſuſque comas, pulchroſque Hyacinthus amictus,

Plena

Plenaque flammeolis oneratur fiſcina calthis.
Libertas jucunda loci eſt, ſceleriſque voluptas
Neſcia: nunc dulci ramorum frigore lenes
Declinant Solis radios, fuſæque per herbam,
Mollibus in pratis, curarum expertia ſomno
Membra locant; non pluma capit, nec picta figuris
Stragula, barbarico nec conopea paratu.
Non libet his tanti pretioſum ambire ſoporem.
Blanda quies, ſed inempta placet, formoſaque pictis
Herba toris, roſeo quam Chloris purpurat oſtro,
Quamque ornat natura parens: ubi blandiot aura
Alludit placido ſomnum fotura ſuſurro.
Hic menſæ genialis opes, & dapſilis arbos
Fructibus inflexos, fœcundo palmite, ramos
Curvat ad obſequium, præbetque alimenta famenti.
Eſuries tamen omnis abeſt, proſcriptaque ſacro
Ingluvies campo: quædam eſt libare voluptas,
Deliciiſque fames tantum ſatianda fovetur.
O quoties viridi divulſum ceſpite pomum
Sarcotheæ placuit! quoties admota palato
Perſica, libato quoties aurantia ſucco!
Iſte ſapore placet fructus, placet alter odore:
Illi candor ineſt, roſeumque huic apta colorem
Forma dedit, parit illecebras hic quælibet arbos,
Invitatque aliquo quævis gratiſſima dono.

Viderat

Viderat Antitheus niveam per gramina Nympham
Errantem, & facilis captantem gaudia ruris,
Paſcentemque animum jucundæ munere vitæ:
Vidit, & indoluit tantorum herede bonorum,
Tam cultæ telluris opes, tantaſque teneri
Vivendi illecebras: quin & palatia divum
Clauſa ſibi, quæque infamis bona perdidit exſul,
Exhereſque Poli, felici adcreſcere Nymphæ.
Ergo, ait, immeriti patriis proſcribimur aſtris,
Cœlituum proceres! magni decora alta Tonantis!
Primigenæque Deum? Noſtrisne indignior heres
Sedibus exſultet, luteæ pars ultima terræ,
Brutorumque nepos? Cur non hic fulmine noſtro
Corruit, æterna caput involvente ruina?
Nos nati propiore Deo, nos candida Cœli
Turma, tenemus adhuc magnæ veſtigia formæ,
Quam Sophia effinxit divino pollice mater.
Nos decus ingenii, nos rara potentia Cœlo
Aſſeruit. Quid nunc generis primordia noſtri,
Et regni titulos, conſanguineumque Tonantem
Commemorem? Vires, & nobilitatis honorem?
Nomina digna quidem, ſed non habitura favorem,
Adferimus: ſemel excidimus crudelibus aſtris,
Et conjuratas involvit terra cohortes.
Fata manent, tenet & Superos oblivio noſtri.
Indecores premimur, vulgi tolluntur inertes

Plenaque flammeolis oneratur fiſcina calthis.
Libertas jucunda loci eſt, ſceleriſque voluptas
Neſcia: nunc dulci ramorum frigore lenes
Declinant Solis radios, fuſæque per herbam,
Mollibus in pratis, curarum expertia ſomno
Membra locant; non pluma capit, nec picta figuris
Stragula, barbarico nec conopea paratu.
Non libet his tanti pretioſum ambire ſoporem.
Blanda quies, ſed inempta placet, formoſaque pictis
Herba toris, roſeo quam Chloris purpurat oſtro,
Quamque ornat natura parens: ubi blandiot aura
Alludit placido ſomnum fotura ſuſurro.
Hic menſæ genialis opes, & dapſilis arbos
Fructibus inflexos, fœcundo palmite, ramos
Curvat ad obſequium, præbetque alimenta famenti.
Eſuries tamen omnis abeſt, proſcriptaque ſacro
Ingluvies campo: quædam eſt libare voluptas,
Deliciiſque fames tantum ſatianda fovetur.
O quoties viridi divulſum ceſpite pomum
Sarcotheæ placuit! quoties admota palato
Perſica, libato quoties aurantia ſucco!
Iſte ſapore placet fructus, placet alter odore:
Illi candor ineſt, roſeumque huic apta colorem
Forma dedit, parit illecebras hic quælibet arbos,
Invitatque aliquo quævis gratiſſima dono.

Viderat

Viderat Antitheus niveam per gramina Nympham
Errantem, & facilis captantem gaudia ruris,
Paſcentemque animum jucundæ munere vitæ:
Vidit, & indoluit tantorum herede bonorum,
Tam cultæ telluris opes, tantaſque teneri
Vivendi illecebras: quin & palatia divum
Clauſa ſibi, quæque infamis bona perdidit exſul,
Exhereſque Poli, felici adcreſcere Nymphæ.
Ergo, ait, immeriti patriis proſcribimur aſtris,
Cœlituum proceres! magni decora alta Tonantis!
Primigenæque Deum? Noſtrisne indignior heres
Sedibus exſultet, luteæ pars ultima terræ,
Brutorumque nepos? Cur non hic fulmine noſtro
Corruit, æterna caput involvente ruina?
Nos nati propiore Deo, nos candida Cœli
Turma, tenemus adhuc magnæ veſtigia formæ,
Quam Sophia effinxit divino pollice mater.
Nos decus ingenii, nos rara potentia Cœlo
Aſſeruit. Quid nunc generis primordia noſtri,
Et regni titulos, conſanguineumque Tonantem
Commemorem? Vires, & nobilitatis honorem?
Nomina digna quidem, ſed non habitura favorem,
Adferimus: ſemel excidimus crudelibus aſtris,
Et conjuratas involvit terra cohortes.
Fata manent, tenet & Superos oblivio noſtri.
Indecores premimur, vulgi tolluntur inertes

Ac viles animæ, Cœloque fruuntur aperto.
Nos, Divum ſoboles! patriaque in ſede locandi,
Pellimur exſilio, mœſtoque Acheronte tenemur.
Heu dolor! & Superum decreta indigna! Fatiſcat
Orbis! & antiquo turbentur cuncta tumultu!
Ac redeat deforme Chaos! Styx atra ruinam
Terrarum excipiat! fatoque impellat eodem
Et cœlum, & cœli cives! Ut inulta cadamus
Turba, nec umbrarum pariter caligine raptam
Sarcotheam, inviſum caput! involvamus? Ut aſtris
Regnantem, & nobis domina cervice minantem,
Ignavi patiamur? Adhuc tamen improba vivit?
Vivit adhuc? fruiturque Dei ſecura favorem?
Cernimus? Et quicquam Furiarum abſconditur Orco?
Vah pudor! æternumque probrum Stygis! occidat amens!
Occidat! & noſtræ ſubeat conſortia culpæ!
Hæc mihi, ſecluſo cœlis, ſolatia tantum
Excidii reſtant, juvat hac conſorte malorum
Poſſe frui, juvat ad noſtram ſeducere pœnam
Fruſtra exſultantem, patriaque ex ſorte ſuperbam.
Ærumnas exempla levant, minor illa ruina eſt,
Quæ caput adverſi labens oppreſſerit hoſtis.
Quid moror? Apta Dolus pugnanti ſuggeret arma.
Simplicitas patet inſidiis, via fraudis aperta eſt.
Huc agite! umbrarum cives! Stygiæque phalanges!

Ultrices

Ultrices Furiæ! Stirps funeſtiſſima noctis!
Eumenides! tuque, inprimis, ſcelerata malorum
Alecto inventrix! cui luxus, & improba ſervit
Ingluvies, quæque a pulchro ſeducis honeſto
Illuſtres animos, ſcelerumque adſtringis habenis.
Dixit, & imperium ſenſit famulator Avernus,
Pallenteſque animæ, ſtetit impigra turba tyranni
Ante pedes; ſceptrumque potens, ſoliumque veretur,
Excipiens mandata patris, quæcunque nefandis
Paſcitur, & Stygio livet ſuffuſa veneno.

Dirarum Mors prima fuit; miſerabile monſtrum!
Horrendum ac deforme malum! frons pallida torquet
Mille oculos, queis cuncta videt, neque fallitur ulli,
Surda caput, nulloque patent orantibus aures:
Liventes exſucca genas, vixque oſſibus hærens,
Naribus infenſum tetra adſpirabat odorem.
Flumine dimenſam ſignabat clepſydra vitam,
Læva impoſta manu: vibrabat dextera falcem
Hactenus intactam, nec ab ulla cæde rubentem.
Innumeri circum, famulatrix turba, Dolores,
Morborumque hærebat iners genus, improba Peſtis,
Tartareis ardens facibus, demenſque furore;
Alba Phthiſis, turpiſque Elephas, ac lenta Podagra,
Et tremula incerto Febris variabilis æſtu.

Debilis has inter Mortis cognata Senectus,
Stipite fulta gradum, vitreoſque adſueta per orbes
Imbelli plantas oculo firmare caducas,
Hic aderat: rugis illi cutis aſpera ſqualet,
Statque humeros contracta breves, faciemque peruſta:
Horrida crinigero ſilveſcunt tempora mento.
Mæſtarum juxta Curarum adfunditur agmen,
Infelix agmen! vigiles traducere noctes
Inſomni adſuetum ſtudio, placidæque quietis
Impatiens, preſſam jugulare in corpore mentem.
Has præter, Labor inſequitur, nuduſque lacertos,
Incultuſque rigans madidos ſudoribus artus.
Et Luctus, Gemituſque, alto ſuſpiria ducens
Fracta animo; lacero diſciſſum pectus amictu,
Cæſaries impexa riget, lacrymabilis atris
Obſita frons nebulis, toto ſedet horror in ore.
Ipſa tenebroſis Paupertas nata ſub antris,
It comes, inveſteſque ſinus, & pectora nuda
Vix rupto centone tegit, cava lumina triſti
Subſidunt vultu, digitis manus horret aduncis,
Et ſuadere nefas, & multum audere parata.
Dira Fames juxta, exſangui præpallida vultu,
Vix cute deformes malarum obtecta cavernas,
Torva ſupercilio, coſtas nudata patentes:
Ventris habet pro ventre locum, pro clunibus oſſa,
Tibia ſurarum vacua, atque hærentia vixdum

Incerto

Incerto dubitans firmet veſtigia greſſu.
Hæc ubi confuſo ſtipaverat agmine regem
Turba ſuum, Dolus, Antithei digniſſima proles!
Altior adſtabat reliquis, hunc fingere vultus
Mille ferunt, doctumque novis illudere formis,
Atque animos verſare rudes: huic Proteus ipſe
Ceſſerit, & fictæ capiatur imagine frontis.
Vix aderant: mox Antitheus mandata ſilendi
Torva dabat, plenoque minax ſic ore profatur:
Tænarii Proceres! quorum ignorata poteſtas
Hactenus, umbrarum tenebroſo conditur antro,
Vivimus opprobrium ſuperumque hominumque, nec ullis
Obſequiis colimur; pœnarum ingentia tantum
Pondera, fatorumque minæ, flammæque voraces,
Æterna nos morte premunt. Quid inulta manemus
Turba? Quid ignavo dudum torpemus Averno?
Eripiant cœlos Superi, geminoque negentur
Orbe poli: nondum hic languet calcata poteſtas.
Eſt animi virtus, eſt fraus, eſt cauſſa nocendi.
Plebs nova Terrigenum, tumidis cervicibus, audax
Imminet, & noſtris gaudet ſe creſcere damnis,
Exſors ipſa mali, juvat hanc infamia Ditis,
Et ſpoliis tantis fruitur, tellure vagatur
Immanis, ſceptroque ſolum moderante coercet,
Invaſura polos: nos ſegnis turba protervo

Spernimur ingenio, totiſque expellimur aſtris.
Terra data eſt: etiam terris excludimur ipſis,
Infames, ac probroſi ludibria mundi!
Hoc patimur? Nondum aſtrigenas confundimus orco,
Devotaque cadit cœlumque ſolumque ruina?
Tartareos adjuro lacus, Stygiique Draconis
Horrendum Antitheus teſtor caput, una petetur
Sarcothea: ultori nympham involvemus Averno.
Vos animos rebus faciles aptate gerendis!
Me duce conſtabit cœptum, prior omnibus unam
Adgrediar, prior illecebras & mellea vocum
Blandimenta dabo, pulchraque tenebitur arte,
Fraudibus intercepta meis, & carcere vincta.
Vos fidas præſtate manus! Nec plura locutus
Arma ſimul fremit! Arma minax, ferrumque, faceſque,
Sulphuraque, & piceas cogit per Tartara nubes,
Fluminaque infundenda ſolo: ruit omne per antrum
Immenſum vulgus, furvæque, atra agmina, turmæ
Terrarum eluctantur humo, objectaſque fremendo
Adſiliunt portas, urgentque immanibus auſis
Murorum adverſam molem; dum rupta ſilentum
Antra patent horrenda, ſoloque fruuntur aperto.
Ventorum haud aliter cœcis luctatur in antris
Crudelis rabies, arcto dum carcere magnis
Flatibus intumuit, crevitque leviſſima moles,

Nunc

Nunc hos, nunc illos aditus molimine duro
Explorat, dubiæ pendent cum rupibus arces,
Succuſſæque horrore tremunt, capita alta premuntur
Silvarum, ac vulſis quatitur radicibus arbos.
Qua via facta ruunt, diffracta repagula cedunt,
Et terræ patuere Stygi, quæcunque per orbem
Funditur, emiſſis Acherontica turba maniplis.
Qualis præcipitum Nereus raptatur aquarum
Horriſono ſtrepitu, poſtquam laxavit habenas,
Carceribuſque ruens captivas ejicit undas,
Obice perfracto. Tum libertate recepta
Æquoreos volvit montes, perque avia ſpumans
Fertur, & effuſa trahit obvia quæque rapina.
Fluctus agros, fluctus ſegetes involvit agrorum:
Obſtat nulla domus, vallumque furentibus undis,
Molle fatigatos donec mare temperet æſtus.
Sic Acherontei Manes, ac pallida fuſci
Caſtra Dei, circum fremituſque minaſque dedere,
Et populatrices late effudere phalanges.
Horridus ante alios Melanurgus, torvus Alaſtor,
Diſciſſuſque habitum, flammantiaque ora Pyraſter
Succenſus, Miaruſque atrox, ſævuſque Noherpon,
Et ſeptem armatus capitum truculenter Hydraſpis,
Ac retro Polymorphus adeſt variabilis ore;
Nunc fera, nunc ſerpens, nunc vaſta mole gigantum;
Nunc pygmæorum brevis e grege nanus; ad omnes

Illece-

Illecebras fraudum, & diras formabilis artes.
In medio, turmas inter provectus ovantes
Cernitur Antitheus; reliquis hic altior unus
Eminet, & circum vulgus despectat inane:
Frons nebulis obscura latet, torvumque furorem
Dissimulat fidæ tectus velamine noctis.
Serpentum exuviæ maculoso tergore squalent,
Exornantque humeros, & lubrica crura recingunt:
Sanguinea vertex crista, galeaque minaci
Fulgurat, & parvis capitis coma fluctuat hydris.
Squammosum gemini currum vexere dracones,
Anguipedes ambo. Fulvis expanditur alis
Dorsum immane feræ; circum splendentibus armi
Pinguntur maculis, squamisque rigentibus horrent:
Volvuntur tereti contorta volumina tergo:
Os trifidam exsertat linguam: frons lumen acutum
Evibrat, & patulis fumant de naribus ignes.

FINIS LIB. I.

SARCOTIDOS

LIBER II.

TALIBUS Antitheus Paradiſi in limine monſtris
Subſtitit; occulto lapſus per rura meatu,
Ignoratus adhuc, rutiliſque incognitus aſtris.
Fœderibus nondum ruptis elementa fidelem
Mutavere ſitum; nondum, compage ſoluta
Terrarum, poterant ſcriptas tranſcendere metas
Audaces ventorum animæ; nondum æquoris ira
Ferbuit, alternos quondam paſſura labores:
Nondum fulmineis incanduit æthra procellis,
Tempeſtas ignota fuit, non horruit imber
Grandinis, aut madidam ſubvertit Aquarius urnam.
Aſtra ſuum fulſere diem, ſine nube, ſerenum,
Proſcriptis cœlo nebulis; ſibi bruma licere
Haud quicquam voluit, rigidas exoſa pruinas,
Arctoaſque nives: Zephyrus Borealia rector
Sceptra tulit, flavitque leves moderatius auras.
Ver anni menſura fuit. Pax aurea mundum

Dotalem

Dotalem tenuit : nondum ſua ſpicula Mavors,
Nec Pallas galeam, nec ſævos Mulciber ignes,
Intulerant noſtris, crudelia numina! fatis.
Non clypeus, non enſis erat, nec vulnera quiſquam
Senſerat, aut mediis vitam prodegerat armis.
Non valvis munita domus, non oppida vallis
Cincta, nec excubiæ inſomnes, nec ſubdolus hoſtis
Notus erat ; ſed tuta quies poſſederat orbem.
Nomina morborum nondum vulgata, nec artis
Inventor medicæ tectas diſtinxerat herbas.
Nulla lues, nullo dives Libitina ſepulcro.
Nec Radamantheam tunc Gnoſſius arbiter urnam
Excuſſit, trepidante foro : nec Parca refecto
Stamine divulſos abruperat improba fuſos.
Omnia mortis erant curaque metuque ſoluta.
Ergo ſuis Princeps Stygius mandata ſilendi
Certa dabat, ſuadetque moras, ac tempora prædæ
Obſervare jubet. Prius, inquit, dulcia noſtris
Poma ferat manibus, cupido prius illa palato
Ingerat, admorſumque bibat per membra venenum.
Hoc belli ſignum dabimus. Dolus occupet omnem
Ante viam, tentetque ſuas feliciter artes.
Veſtibulo nemoris patulis ſe frondibus arbos
Pomifero effundit fructu, faciliſque latenti
Umbra favet : quidquid noſtro de corpore fœdum eſt,
Illa teget, fictæque dabit ſedem umbra quietis.

Huc

Huc, Dole! Sarcotheam duces, laudataque nymphæ
Suadebis capienda, meum, poma aurea, donum.
Ille, agilis mandata ſequi, per amæna vireta
Antevolat dominum. Nudos ſibi finxerat artus,
Ductilibus velut e ceris; per membra, genaſque
Innocuus, niveuſque puer; nova purpura malas
Pinxerat, & miti diſtinxerat ora rubore,
Lacte ſuper: crinem levibus projecerat auris,
Erranteſque humeris vibraverat impiger alas,
Quales geſtat olor; lateri ſuſpenſa pharetra,
Dextraque contractum docilis ſuſceperat arcum.
Diſſimilis Dolus ipſe ſui, nullique notandus
Ingreditur, vixque ipſe ſatis ſibi cognitus errat.
Candida ſimplicitas, & mens ignara malorum,
Hac pingi forma meruit, ſuſpecta videri
Tela, leveſque arcus poterant, quos dextra gerebat,
Sed quis ab imbelli formidet tela lacerto?
Sic medio incedit prato, ſic mollibus herbas
Sub plantis terit, & florum proculcat honorem
Languentem: adtactu pueri ſenſiſſe putatur
Clades Terra ſuas, ſcelus averſata futurum.
Nympharum mediis errabant agmina campis,
Sarcothea, & comites divæ, facileſque trahebant
Palmitibus fructus, & prona ex arbore mala.
Adſtitit ante Dolus, blandique per ora ſereni
Argumenta dedit, felix tunc omnibus augur

Viſus, & e patrio promittere gaudia cœlo.
Fortunatæ, inquit, terreſtria numina! Divæ,
Sarcothea ante alias. Nil te, pulcherrima rerum!
Orbis majus habet; ſervit tibi ſubdita tellus,
Ac pontus cœlumque favet. Tibi flumina currunt,
Et piſcis quicunque natat, te tigris amare,
Imperiumque tuum didicit, leo ſceptra vereri:
Aſtra favent, pulchraſque faces tibi Luna miniſtrat,
Et Phaetonthæo Phœbus micat aureus axe.
En! tellus fœcunda tuis modo frugibus omni
Luxuriat campo, ſoli tibi maximus orbis
Parturit, & lætis fert mala rubentia ramis.
Vix pretium ſatis ipſa tenes, rerumque tuarum,
Dives, eges; pauciſque levas faſtidia pomis.
Eſt in ſeceſſu nemoris gratiſſima malus,
Deliciæ Superum, viridi ſpectabilis umbra:
Illa Diis guſtata placet, multumque futuri
Præſcia, venturas rerum docet abdita cauſſas,
Hactenus ignorata tibi. Cur munera cœli
Negligis, hortorumque dapes? Pars optima frugum
Deperit, & nullum de te meret arbor honorem.
Utere conceſſis. Fructus male, ſubjicit illa,
Suaſeris illicitos: obſtant mandata Tonantis;
Ille vetat, contraque necem intentavit acerbam:
Cuncta licent, hæc ſola nefas eſt carpere poma.
O nimis indignum, Dolus inquit, pone timorem!

Crudeles

Crudeles fingis Superos, non tanta nocendi
Sævities Divis, nec tanta inſania pœnæ eſt.
Eſt aliud, cur poma vetent, cur dura minentur
Ignaris, pavidamque agitent formidine mentem.
Te ſi pulchra juvat magnarum ſemina rerum
Principiis noviſſe ſuis, mentemque futuris
Pandere, & occultas naturæ diſcere leges,
Ac veri falſique notas; ſi pectora Divis
Æmula, ſecretis fatorum implere tuorum,
Et Superis lubet ire parem; ne differ amici
Conſilium: quæ terra dedit, ſtulte ipſa negabis
Poma tibi. Sunt aſtra Deum; tibi ſubditur orbis.
Naturam peccare facis, ſi dona recuſas.
Tu nimium ne crede Deo, diſcrimine magno
Sors agitur; ſola poteris minor eſſe Tonante,
Cum divina novo ſacraveris ora ſapore.
Talia narrantem, ſenſimque per avia flexum,
Sarcothea admirans ſequitur, propiorque volenti,
Huc modo cunctantes animos, modo dividit illuc;
Et magis atque magis victam ſubmittere mentem
Incipit, occurrens properantis ad oſtia lethi.
Jamque aderant propius miſeri fatalibus umbris
Arboris infauſtæ: pendent argentea ramis
Pondera malorum, truncoque plicatilis Anguis
Cernitur implexus, pulchro variabilis auro,
Cærula colla gerens. Venienti hic obvia nymphæ

Poma tulit; ſed enim ſtupuit perterrita virgo,
Heu! morior! ſimul exclamans, ſimul ora retorquens.
Non moriere, Draco reddit, blandumque renidens,
Accipe divinum, repetit, poma aurea, donum.
Obtulit illa manus primum; ſed dextra retractans
Sponte redit; natura, nefas horreſcere viſa,
Pondere tam gravium cæpit titubare malorum.
Quin etiam obnitens Arete, retrahenſque volentem,
Et Themis hinc, illinc Agape, melioribus inſtant
Conſiliis, facinuſque docent, pœnaſque ſequentes;
Nequicquam: ſurdæ nam fabula credita nymphæ eſt,
Dum ſtulte Diancea favens blanditur amanti.
Illa reluctantes (heu!) in contraria præbet
Fata manus, ſuadente Dolo, tantumque probante
Auſpicium, quod bruta loquens fera voce dediſſet.
Jamque oculis inhians pomi miratur honorem:
Lacte nitet, fulvoque micat ſpecioſius auro:
Spectatum placuit: quin & captavit odorem;
Gratus erat: creſcit guſtandi ſæva voluptas,
Et rapiunt captos tentata pericula ſenſus.
Infælix ſequitur: pandis ter poma labellis
Objicit, & triſtes intentat credula morſus;
Ter remorata ſtetit: ſubeunt diſcrimina rurſum,
Avertuntque animum: prohibet lex; imperat excors
Ambitio; rapit hinc Amor; & Timor inde reducit,
Ancipiti curarum æſtu. Tandem excipit arcu

Tela

Tela Dolus ; quæ, Lethæo ter flumine merſa,
Illecebris frangunt animos, mollique veneno
Conſilium evertunt, & vim rationis honeſtam.
Illa jacit, tacitumque latus ſubeuntia nymphæ
Pectoris inſinuat gremio, verbiſque morantem
Increpat, & pronam magis urget voce ruinam.
Annuit ipſa Dolo, malumque (heu ! longa dolendi
Materies ! & triſte nefas !) veſana momordit,
Tanti ignara mali. Mora nulla, ſolutus Avernus
Exſpuit infandas acies ; fractumque remugit
Divulſa compage Solum ; Nabathæa receptum
Regna dedere ſonum, Pharioque in littore Nereus
Territus erubuit : ſimul aggemuere dolentes
Heſperiæ valles, Libyæque calentis arenæ
Exarſere procul. Stupefacta Lycaonis urſa
Conſtitit, & pavido riguit glacialis in axe.
Omnis cardinibus ſubmotus inhorruit orbis.
Ipſe etiam refugo Sol expalleſcere curru
Viſus, & abſtractis Cœlum turbare quadrigis.
Hinc iter aſſuetum flectens, modo devius errat
Phœbus adhuc, propiorque ſolo, vel frigore lento,
Vel fervore nocet. Primis tunc aſtra tenebris
Amiſere diem, primus ferus ignibus æther
Exarſit, ruptoque Polus deſæviit axe.
Tunc elementa, datæ neglecto fœdere pacis,
Excuſſere jugum, raptaque morantia ſede

Exer-

Exercent rapidis bellum implacabile pugnis.
Tota anceps Natura ſtetit: ruptone profundo
Mitteret ultores Superos; & cardine vulſo
Cœlorum, Chaos antiquum confunderet Orbi?
An male tentatum facinus ſubmergeret Orco?
Sarcotheam tantus pavor, & confuſio rerum
Defixam oppreſſit terrore: hæſiſſe trementem
Auctorem, & proprium ſcelus expalleſcere viſum,
Antitheum memorant; erat hæc audacia cœpti!
Nympham igitur Stygiæ raptim petiere phalanges,
Armatæque acies. Mors, intractabile monſtrum!
Agmina morborum circum deformia longo
Ordine, Curarumque examina mœſta propinquant.
Triſte malum Dolor hinc; Labor inſtat ſqualidus inde,
Intentantque minaſque, manuſque, omnemque ruinam.
Protinus occurrunt Divæ, comiteſque ſorores,
Heu! nimium lentas tendunt in prælia dextras.
Dux Arete, juxtaque latus divina Pronæa,
Ingreditur: ſtetit illa minax, haſtamque ferocem
Intentans, ſemel Antitheum fælicibus auſis
Reppulit, & fævos fecit trepidare dracones;
Obnixumque iterum ferro victore coegit
Retro ferre pedem: ſequitur generoſa virago,
Et jam jamque premit jugulum, multumque trementi
Vocibus inſultat. Tu nos, damnate profundi
Incola! Tartareis audes inceſſere monſtris?

Tu

Tu Cœlo miſcere Stygem, rerumque quietem
Prodere, præcipitemque Orco deducere mundum?
Proh ſcelus! Excluſum Cœlis, hoſtemque Tonantis
Sedibus his inferre gradum! Quod, Perfide! donum
Speraſti? Tibi quæ noſtrum dementia regnum
Perſuaſit? Nunc cede agedum! Maneſque vagantes
Stringe ſub imperium, diroque Acheronte coerce!
Audior? An juſtas nobis dabis, Improbe! Pœnas?
Vix ea, cum capiti impendens librata bipennis,
Dat late ſonitum, plagamque infligit acerbam,
Per lævum deducta latus: cecidere reſecta
Vipereæ portenta comæ, lateque cruentam
Sparſerunt ſaniem. Tellus infecta veneno
Obſtupuit, ſterilique etiamnum pallet arena.
Scilicet elatum, multoque furore minantem
Sarcotheæ, ut Stygiis raptam ſubmergeret undis,
Qua via facta neci, victrix hæc ſola repreſſit.
Interea magis adverſæ victoria parti
Favit, ubi reliquus nympharum exercitus ibat
Infœlix hoſtem contra. Pars reſtitit audax,
Et conferre gradum, & ferro decernere prompta;
Inferior numero quamvis, ac viribus impar,
Funderet innocuum plagis labefacta cruorem:
Pars intenta fugæ. Themis armis nuda relictis,
Palmam victa dedit, ſpoliiſque implevit Avernum,
Exſultantem animis, & pulchra tropæa gerentem.

Illa

Illa quidem fugiens, ſparſis per terga capillis,
Ora rigat, lacrymis, & Cœlum queſtibus implet;
Talia voce rogans. Magni Deus arbiter Orbis!
Qui rerum momenta tenes, ſoluſque futuri
Præſcius, elapſique memor; quem Terra potentem
Imperio, Cœlique tremunt; quem Dite ſuperbus
Horreſcit Phlegethon, pavidoque furore veretur:
En! Styge crudeli premimur. Laxantur hiatus
Tartarei, diruſque Solo dominatur Avernus,
Et Manes violant Superos: diſcrimina rerum
Suſtulit Antitheus, Divumque oppreſſit honorem.
Reſpice Sarcotheam! nimis, heu! decepta momordit
Infauſtas epulas, noſque omnes prodidit hoſti.
Quid querar? Infidam dominam, vetitaſque ſequentem
Illecebras? An Tartareum toto orbe furorem?
Utraque res fienda eſt! caput eſt tamen illa malorum.
Tu vindex ſuccurre Deus! Sic fata reliquit
Diva Solum, patrioque iterum ſucceſſit Olympo.
Audiit Omnipotens, & Cœli clauſtra relaxans,
Terrarum ingreditur fines, per amœna vireta
Incedens nemorum. Venientem territa ſenſit
Sarcothea, et Stygiæ circum tremuere cohortes.
Illa procul turpi fœdatum vulnere corpus
Nuda tulit; ſcelerum maculis, proprioque pudore,
Erubuit, ſylvaque latens ſe condit opaca.

Plurima

Plurima ficus erat: quarum quæ maxima, circum
Funditur, & latas foliorum projicit umbras:
Hanc ſubiit, veſtemque ſuo textura rubori,
Arte laboratis cogit velamina ramis.
Sola aderat Diancea comes, turbata capillos,
Et niveam ſpoliata togam, tum vulnere multo
Saucia, cervicemque manuſque gravata catenis.
Extulit Altitonans vocem, quam cuncta verentur,
Aſtra Solumque pavent: quæ vitam ferre ſepultis,
Et vivis auferre poteſt: cui maximus orbis
Sternitur, & poſitis ſubmittitur aura procellis.
Hac, ignoranti ſimilis, ſimiliſque roganti,
Inclamat nympham pavidam: timor anxius illi
Excuſſit mentem, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa pavor; jamque ipſa, ſui, cœptique laboris
Immemor, abjecitque opus, abjecitque ſalutis
Perfugium, nudæque ſibi quærebat aſylum,
Et ſeras culpæ latebras; nec ſupplice vultu
Nec precibus dignata Deum; ſed turpe querelis
Accumulat facinus (tanta eſt amentia ſontis!)
O nimium, exclamat, ſegnis! noſtroque benignus
Hoſtis in exitio, quid acerba veſcimur aura?
Si tua, Mors! captiva feror, cur carcere longo
Aſſervor? Mea cauſſa patet, ſine judice ſontem
Tolle ream, mentemque ſuam, crimenque fatentem.
Si falx lenta tibi eſt, ſi tela imbellia torques;

Montibus hoc abſconde caput! Telluſque fatiſcat
Præcipiti! Qua parte ſolum truculenta ſubiſti,
Hac pateat mihi terra! Placet! placet omne periclum!
Ut lateam ſola ora Dei! fugiamque Tonantem!
Inſtitit ille tamen pavidæ, & veſtigia preſſit,
Sarcotheam ingeminans: veluti cum erroribus actam
Paſtor ovem inſequitur, quam ſævo terruit audax
Ore lupus, dum forte gregem crudelis opimum
Invaſit raptor, timidumque per avia ſparſit.
Nympha, ubi deprenſam ſeſe videt, abdita ſylvis,
Conſtitit, atque imo ſuſpiria pectore duxit,
Ter conata loqui, ter hiantem lingua fefellit.
Heu! clamat, plures vix eluctata trementi
Ore ſonos, pudet, heu! lucis, pudet, inquit, opaca
Nocte tegar! nulluſque dies mea vulnera norit!
Credulitas ſtultæ nocuit: deterrimus Anguis
Cætera peccavit, dedit hic fatalia crudo
Poma ſapore mihi, dedit exploranda, morantem
Impulit, & multa nolentem fraude coegit.
Si nocui, magis ipſe nocens eſt criminis auctor.
Dixerat. At contra celſo Deus ore tonabat:
Infelix! quæ tanta animum vecordia traxit,
Imperium ut noſtrum, majeſtatemque verendam
Negligeres? audax! Ut quid tam vilis haberi
Promerui? Numquid placidæ tibi ſubdita ſtravi

Regna

Regna voluptatis, lateque patentia Tempe?
O vecors nimium! magnarum copia rerum
Obfuit, ac vafro ſuaſit parere Draconi.
Hic tecum pereat! Pœnam meruiſtis uterque!
Tu, Serpens aſtute! inquit, ſublimia faſtu
Colla geris, pulchroque cutem depingeris auro;
Deteſtandus eris poſthac, hominumque, ferarumque,
Atque odium commune ſoli: cadet ardua cervix,
Et terris reptabis iners, ſinuoſaque lapſu
Membra trahes, teque ipſe ſequens, fugienſque, catenis
Implicitum volves per mille pericula corpus.
Te vero Antitheum, vafro ſerpente latentem,
Exſortem cœli, terræque in clauſtra reductum,
Quis miſerum furor, aut tranſverſa ſuperbia raptat?
Imbrobe! tu noſtris ſperaſti illudere regnis?
Mox Dolus auctorem repetet. Jugulabere, demens!
Enſe tuo: perpeſſa malas eſt femina fraudes;
Femineum patiere jugum: pedibuſque ſubactam
Cervicem imbellis fracto miraberis aſtu:
Turpis eris (preſſus tum colla tumentia) victor.
Vos reliquæ peſtes Erebi, Curæque, Doloreſque,
Et Gemitus, Luctuſque graves, habitabitis orbem!
Et nympham, & nymphæ genus exercere parati.
Veſtro colla jugo ſubdet, vos pondere longo
Morborum, ac partu, ſenioque extrema dolentem

Morti infelici dabitis, putrique ſepulchro.
Ferte pedes! agedum! virideſque relinquite campos!
Hoſpitium profugis aliud dabit arida Tellus.
Vix tulerat mandata Pater; ſimul agmine facto
Sarcotheam abripiunt: nequicquam multa gementem,
Atque obluctantem fruſtra Metanœa ſecuta eſt,
(Hoc Dianœa ſibi nomen modo fecerat ipſa)
Afflictum pectus plangens, immani ululatu.
Cætera pars comitum longo ſubit intervallo:
Elpis ſparſa comas, Piſtiſque, Agapeque, ſorores,
Flebilium, nimis heu! lacrymarum fonte madentes:
Ante omnes Agape, multo jam vulnere tarda
Incedit, dubitans iterumque iterumque reverti;
Inſequitur tamen, ac lento ſe ſtipite firmat.
Jamque propinquatum eſt portis, patuere reductæ
Hortorum valvæ, quibus enſifer adſtitit Ales;
Laxataſque fores nymphis poſt terga reduxit,
Æternis firmans ſolido ex adamante catenis.
Obriguere omnes, & poſt ſua terga relictas
Delicias nemorum lacrymis ac voce requirunt;
Quaque licet vultum immittunt, votiſque morantur,
Hærentes ſeptis; donec ſuper Armiger igne
Sæva minans, terret vibratis Elpida flammis.
Illa fugit; fugiunt comites, deſerta petentes
Arva procul, miſeris horrentia vepribus arva.
Sic per Idumæos montes, valleſque jacentes,

Emenſis cum ſole viam, triſtiſſima monſtri
Occurrit ſpecies: turpes obſederat artus
Deformis ſqualor; tantummodo pellis & oſſa,
Vix conjuncta ſatis, firmiſque hærentia vinclis.
Hirta capillitio, contraxerat arida frontem,
Nec vigor in vultu, nec digna coloribus ora;
Aſt exſucca genas, putreſque edentula malas;
Ventre carens, lumbis tantum ſubnixa recurvis,
Pendula coſtarum ſub fornice corda latebant:
Hanc dixere Famem: canibus ſuccincta protervis,
Vulturibuſque, frequens ibat; præroſa revolvens
Oſſa manu: talis fractæ jam viribus inſtat
Sarcotheæ, mediaque via proſternit inermem.
Tum fauces premit adſtringens, ſtomachumque furenti
Convulſit dextra, & tenues vaneſcit in auras.
Hinc defecta gravi vixdum ſerpebat arena
Torpeſcens virgo; multus de vulnere ſanguis
Fluxerat, & totos clades exhauſerat artus:
Auxilio tamen Elpis erat, miſeramque fovebat
Spe ſola. Præerat regioni maxima Tellus,
Imperio late gaudens, placidaque quiete;
Dives agri, diveſque animantum, dives & auri,
Argentique, ſuis quæ texit avara cavernis.
Hæc forte hoſpitibus deducitur obvia, curru
Suſpenſa in medio, gemino qui penſilis axe
Volvitur, & binas præ poſtque admiſerat urſas,

Vectrices

Vectrices Divæ. Fuit illi corporis ingens
Inculti moles, & ventris jugera centum,
Dorsi immane jugum, lapidumque simillima vultu
Ossa sedent, molles firmantia corporis artus:
Hirtus erat vertex, cinctusque virentibus herbis,
Arboreisque comis; at frons inarata, seniles
Nondum passa notas, rugarum erat invia sulcis;
Calvities in fronte tamen decus abstulit ori:
Pectore nuda tenus, gremium sinuosa repandum,
Et musco viridi, & captis impleverat undis.
Talis Diva fuit spectato cognita vultu!
Sarcothea adversam mœsto sic ore precatur.
Diva! cui Rector Superum frenare superbum
Terrarum dedit imperium, jussitque tributum
Solvere quidquid habet, seu maximus æquore pontus,
Seu quæ plumigeris habitata volucribus aura est;
Exsilio pulsæ, patriis avellimur oris,
Ad terras, Regina! tuas, quas inclyta toto
Orbe regis: miserescе! rogo, miserescе tuorum!
Stirps cognata sumus, patribus gaudemus iisdem;
Communes concede lares, te supplice fletu
Poscimus, afflictam solatrix adspice gentem.
Dira Fames nostros sensim depascitur artus;
Poscimus hospitium, ac tenuis solatia mensæ.
Audierat Tellus; sed, durum impervia pectus,
Vix responsa dabat. Tandem rude culmen agresti

Cespite

Ceſpite fultum adiit : tum, quæ virgulta ferebant,
De rigidis tantum ſilveſtria mora rubetis
Pauca dedit : ſterilem fecit glans obvia cœnam,
Et tenues herbæ, preſſique coagula lactis.
His ſatiata fames epulis, hoc menſa paratu
Tota ſtetit : deerant lautis embammata ferclis,
Et pingues nemorum prædæ, mariumque rapinæ.
Nondum pontus erat, nondum penetrabilis aer
Auſibus humanis : nondum crinita ſecurim
Paſſa ſeges, cineremque foci : nec toſta rotatis
Ex verubus pendebat avis, patinaſque relicto
Mutabat nido; deceptus arundine nondum
Turdus erat, piſciſve hamum, caſſeſve momordit
Marſus aper; nondum variabant fercula menſas.
Has famis illecebras, & blandimenta palati
Ignorata diu, ſeri reperere nepotes.
Hac igitur latuit virgo regione, potentis
Telluris perpeſſa jugum, durumque rigorem,
Sedula deductrix operum, patienſque laborum.
Hæc primum intactos docuit proſcindere campos
Vomere, produxitque rudes ad aratra juvencos,
Colla jugo ſubdens, & ſulcis arva ſupinans.
Illa prior manibus duros ſuadere ligones,
Rutraque foſſori, raſtrumque ſatoribus auſa.
Quin & inexpertis ſementem credidit agris,
Et falcem immiſit ſegeti, Cereremque ſubactam

Calloſis

Calloſis manibus, calida fornace coegit.
Sed tamen, exemplo nymphæ contra aſtra rebellis,
Terra rebellabat, duris armata vepretis,
Ac tribulis horrens, lolioque infecta tenaci.
Sæpe, ubi ſuccubuit raſtris, aut ceſſit aratro,
Credita ſuſcipiens fœcundis ſemina glebis,
Spem facit agricolæ, cum prima meſſis in herba eſt,
Sed fallit matura fidem, mentitaque veris
Germina ſubſtituit, vacuaſque refundit ariſtas.
Nititur hæc contra tamen, & ſudore profuſo
Mollit agros, fructumque ciet, durumque laborem
Venturis tantum ſolatur credula rebus.
Irriguis etiam labor eſt inducere pratis
Rurivagas pecudes, virideſque armenta per herbas
Fuſa ſequi, ac tepido mulctralia lacte gravare;
Aut, ſtreperis propter labentia flumina campis,
Hamatas avidis obtendere piſcibus eſcas.
Res anguſta domi, cuſtos virtutis egeſtas,
Sectarum pellis ovium pro veſte tegebant.
Lanaque purpureos nondum fucata colores
Hauſerat, aut molles tractarant vellera Seres.
Libera curarum, nullique obnoxia prædæ,
Vita, nec invidiæ, nec Martis paſſa timorem,
Tunc communis erat: nondum perruperat aurum
Objectos terrarum obices, Maneſque ſepultos
Liquerat, aut vitreos oculorum perculit orbes,

Senſibus

Senſibus inſinuans ſeſe, mentemque penetrans,
Materies curarum ingens! graviumque ruina
Regnorum! Nondum, lucrum, merceſque ſequendo,
Stulta peregrinas abies tentaverat undas;
Sed maris incomperta fides, & carbaſa ventis
Ignorata ſuis: nondum tumulatus in alto
Præbuit ignotam Palinurus piſcibus eſcam.
Silva domum, ceſpeſque rudi congeſtus acervo,
Tecta quieturis dederant, ſomnoque favebant.
Oppida nulla viris, valliſque armata poteſtas,
Aut foſſis incluſa ſalus: pax fortior omni
Arce fuit: munita quies firmaverat orbem.
Murus erat concors animus; ſed perfida ſenſim
Inflexit mundum rabies, ſceleriſque voluptas
Prima recrudeſcens vitiorum examina traxit.

H SAR-

FINIS LIB. II.

SARCOTIDOS

LIBER III.

ANTITHEUS, primis dudum ſucceſſibus audax,
Exſultanſque dolo, ſtatuit victricibus armis
Frangere Sarcotheam, reliquaſque evertere vires.
Primores igitur Noctis, Procereſque Silentum
Rurſus adeſſe jubet, verbiſque reſuſcitat iras:
Quæ mora? Quæ tandem detorquet inertia mentes?
Cur minus inceptos tenuit victoria curſus?
Scilicet, ut certo moderamine pendeat orbis
Unius ex nutu, totuſque prematur Avernus,
En! modo Cœlicolæ Mentes potiuntur honorem,
Quæque patent Auſtro, rigidamque feruntur ad Arcton,
Sidera, ſidereiſque regunt elementa ſub oris.
Prima polos Aſtræa tenet, vaſtaſque Polarchon
Cœlorum moles dextra moderante volutat.
Juncta Philæra, ſuo conſorte Philæthere, regnum
Poſſidet aereum, ventoſque Philaurus & æſtum
Temperat, aſt torva contorquet fronte Pnoepus.

Pangea

Pangea terrarum domina eſt, mariumque Thalaſſus,
Atque Halomeda ſoror. Flammarum ſorte Pyrarchus
Eminet ignipotens. Volucrum movet Ornea pennas;
Squamigerumq; gregem, conſtrictaq; flumina ripis,
Ichthyanaſſa regit. Princeps Philothera ferarum,
Eſtque Agelarchus agri. Frugum Pancarpus honorem
Plantarumque Pythæa tenet. Thanatea ſepulcris
Præſidet: at contra medicis Panaceus in herbis
Arte valet morbos arcens. Horæa beatos
Conciliat thalamos, prolemque ſecunda Gameſis.
Muſarum Harmoſtes princeps, Vatumque Panodus,
Et docilis Pſychæa animi; regit arma Machetes.
Mitior Irene pacis ſancita tuetur.
Virtutes moderari Areten, conſulta Pronæam,
Juſtitiæ decreta Themin, præſcripta ciborum
Eucraſiam, Andriamque ferunt decernere robur.
Quid nobis reliquum eſt? Superis diviſa poteſtas,
Protopatro mandante, fuit. Nos ultima ſedes,
Terrarum in gremio, tetra caligine ſepta,
Accipit extorres animas, ac ſorte relictas.
Audendum eſt aliquid. Vetito prohibemur Olympo;
Terra ferat: noſtris pars eſt hæc debita fatis.
En! nunc tempus adeſt. Metanœæ prima tepentis
Cura jacet, lapſuſque dolor cum tempore friget.
Fraudibus apta novis nympha eſt. Componite fraudes!
Hic labor eſt, & veſter honos. Sic regia veſtris

Sceptra feram manibus; dabitis ſic jura ſuperbis
Terrigenis, magnumque duces frenabitis orbem.
Suſcipiat me terra Jovem, qui torvus ab aſtris
Detonet, ac rutilas detorqueat æthere flammas,
Orbis in exitium. Tumidas moderabitur undas
Neptunus, trifidum quatiens per cærula ſceptrum
Regna ferox, claſſeſque regens, ac vela ſecundans,
Donec inexpleto mergantur naufraga ponto.
Viſcera terrarum, Pluto! Stygiaſque paludes,
Regnabis, dominuſque nigro vulgaberis Orco,
Arbiter umbrarum! tibi pulchrum ſerviat aurum,
Argentique decus, vitiorum ac Martis acerbi
Materies ingens! Vulcanum fumea Lemnos
Excipiat, flammaſque regat, vaſtoſque Cyclopas,
Pacis ad excidium. Medicorum numen, Apollo,
Herbarumque potens, ac doctæ gloria Cirrhæ,
Impleat inſano ſapientum pectora faſtu.
Mercurius linguaſque regat, loculoſque ſaginet,
Germanumque Indis, Anglum confundat Iberis.
Mars, pater armorum! gentes evertat amicas,
Regnaque cum regnis collidat, & urbibus urbes,
Hoſtileſque acies evertat, cladibus orbem.
Vinum Bacchus amet, genialis conſitor uvæ,
Infandumque animis inſtillet turpis amorem,
Luxuriæ præſes! rixiſque alimenta miniſtret.
Denique, femineis ne deſint numina caſtris,

Sit

Sit Marti Bellona comes, Phœboque Minerva,
Juno Jovi, virides obeat Latonia ſilvas,
Et latrociniis faveat, furtoque colatur.
Lubrica ſubjectum frenet Cythereia mundum,
Illicitis paſſim miſcens incendia flammis.
Ignoret Superos, & culto Numen ab Orco
Poſtulet infelix orbis. Mereamur honorem
Supplicis, & noſtris fument altaria donis.
Fronde coronatas Phœbo bos pronus ad aras,
Neptunoque ferox taurus, Martique litetur.
Cerva tuis, Diana! focis, Cererique juvenca
Virgo cadat, Bacchoque caper, Venerique columba.
Veſta focos habeat, quæque immortalia flammis
Templa micent. Multas hominum cruor imbuat aras.
Crimine placentur Divi: ſacriſque petita
Nox faveat, nigræque ſpecus; pietaſque vocetur,
Culta Venus: vitaſſe ſcelus, ſcelus eſſe putetur.
Adplauſere Dii, cunctoſque ſuperba trahebat
Ambitio, ſcelerique datum cupiebat honorem.
Quiſquis abire prior, noxiſque laceſſere mundum
Poſtulat, at ſubitis rex ſubdolus imperat armis.
Cautis, inquit, opus: præceps audacia vires
Multorum evertit: virtutibus invia, ſæpe
Pervia fraude via eſt. Rebus ſat idonea noſtris
Sarcotheæ eſt proles. Concepit neſcia virgo,
Cum decerpta meis manibus nova ſemina pomi

Manderet

Sceptra feram manibus; dabitis ſic jura ſuperbis
Terrigenis, magnumque duces frenabitis orbem.
Suſcipiat me terra Jovem, qui torvus ab aſtris
Detonet, ac rutilas detorqueat æthere flammas,
Orbis in exitium. Tumidas moderabitur undas
Neptunus, trifidum quatiens per cærula ſceptrum
Regna ferox, claſſeſque regens, ac vela ſecundans,
Donec inexpleto mergantur naufraga ponto.
Viſcera terrarum, Pluto! Stygiaſque paludes,
Regnabis, dominuſque nigro vulgaberis Orco,
Arbiter umbrarum! tibi pulchrum ſerviat aurum,
Argentique decus, vitiorum ac Martis acerbi
Materies ingens! Vulcanum fumea Lemnos
Excipiat, flammaſque regat, vaſtoſque Cyclopas,
Pacis ad excidium. Medicorum numen, Apollo,
Herbarumque potens, ac doctæ gloria Cirrhæ,
Impleat inſano ſapientum pectora faſtu.
Mercurius linguaſque regat, loculoſque ſaginet,
Germanumque Indis, Anglum confundat Iberis.
Mars, pater armorum! gentes evertat amicas,
Regnaque cum regnis collidat, & urbibus urbes,
Hoſtileſque acies evertat, cladibus orbem.
Vinum Bacchus amet, genialis conſitor uvæ,
Infandumque animis inſtillet turpis amorem,
Luxuriæ præſes! rixiſque alimenta miniſtret.
Denique, femineis ne deſint numina caſtris,

Sit

Sit Marti Bellona comes, Phœboque Minerva,
Juno Jovi, virides obeat Latonia ſilvas,
Et latrociniis faveat, furtoque colatur.
Lubrica ſubjectum frenet Cythereia mundum,
Illicitis paſſim miſcens incendia flammis.
Ignoret Superos, & culto Numen ab Orco
Poſtulet infelix orbis. Mereamur honorem
Supplicis, & noſtris fument altaria donis.
Fronde coronatas Phœbo bos pronus ad aras,
Neptunoque ferox taurus, Martique litetur.
Cerva tuis, Diana! focis, Cererique juvenca
Virgo cadat, Bacchoque caper, Venerique columba.
Veſta focos habeat, quæque immortalia flammis
Templa micent. Multas hominum cruor imbuat aras.
Crimine placentur Divi: ſacriſque petita
Nox faveat, nigræque ſpecus; pietaſque vocetur,
Culta Venus: vitaſſe ſcelus, ſcelus eſſe putetur.
Adplauſere Dii, cunctoſque ſuperba trahebat
Ambitio, ſcelerique datum cupiebat honorem.
Quiſquis abire prior, noxiſque laceſſere mundum
Poſtulat, at ſubitis rex ſubdolus imperat armis.
Cautis, inquit, opus: præceps audacia vires
Multorum evertit: virtutibus invia, ſæpe
Pervia fraude via eſt. Rebus ſat idonea noſtris
Sarcotheæ eſt proles. Concepit neſcia virgo,
Cum decerpta meis manibus nova ſemina pomi

Manderet

Manderet infœlix, propriaque reconderet alvo.
Dum pulcrum mater pareret fœcunda Philautum,
Hunc mediis fugiens poſt ſe reliquit in agris
Mœſta parens, magnoque animum ſuperante timor
Ignotam effudit veſana puerpera prolem.
Tiſiphone ſobolem nutrix excepit alendam,
Uberaque exhibuit, crevit puer indole magna,
Ingenioque meas tenuit feliciter artes.
Morum adjunge decus: ſimulatum frontis honorem
Mens inſtructa dolis ornat, poteritque placere
Sarcotheæ; natura potens, & imago parentis
In genito, ſtultos matri ſuadebit amores.
Ille igitur nymphæ gremiumque animumque potitu
Criminibus pretium faciet: mox tramite recto
Virtutum abductam, vitiorum ad devia flectet.
Senſibus irrepet ſenſim perſuaſa voluptas,
Noxiaque ignaræ cœlorum oblivio menti,
Et detractus honor ſuperis augebit Avernum.
Nos rerum dominos, terræque mariſque potentes,
Terra colet, pronoque genu venerabitur Orcum.
Sic ait, elatoque vocat clamore Philautum.
Adfuit, os homini ſimilis, vultumque parentis
Sarcotheæ referens; ſed mens, inſtructa nefandis
Fraudibus, Antitheum viſa eſt meruiſſe magiſtrum.
Huic tamen & Stygii proceres ſua munera donant
Certatim, ac meritis contendunt eſſe priores.

Jupiter

Jupiter elatos animos, nova robora Mavors,
Et Venus affudit Charites, mollique veneno
Illevit frontem : Pitho facunda loquendi
Verba dedit : Neptunus aquas ſuffecit amanti,
Vulcanuſque faces, contraria tela nocendi.
His inſtructus abit, mundoque potitur aperto.
SARCOTHEA armentum molli paſcebat in herba,
Propter aquæ rivum, puro qui gurgite lymphas
Fuderat, & liquida ramos depinxerat unda.
Umbrarum facili ductu ſtetit obvia fonti
Virgo, novaſque freto miratur creſcere ſilvas.
Ipſa etiam propriæ ſpectans ab imagine formæ
Luditur, & niveum veneratur in ore decorem,
Seque, ſuumque probat vultum. Placuere venuſtis
Picta labella roſis, malæ placuere rubentes,
Admixtæque rubore nives, & eburnea cervix,
Membrorumque excelſus honos. Quid cætera narrem ?
Tota placet, ſenſimque ſuo inflammatur amore
Ignorans animus, nutritque in flumine flammas.
O quoties vitreis ſua porrigit oſcula lymphis?
Et vacuis ſe paſcit aquis ? præludia debens
Iſta, Philaute ! tibi. Quoties tulit obvia dextras,
Et dedit amplexus, umbra fugiente, caducos ?
Quid fugis ? exclamat tandem : quid fallis amantem ?
Junge tuos vultus, noſtriſque occurre lacertis :
Junge animos. Nec plura refert ; mox umbra moveri

Incipit

Incipit, affuſoque animatur imago Philauto,
Et ſubit amplexus, & baſia mille propinat.
Me petis? Ecce tuum! dixit: vivamus amantes,
Tuque, tuuſque ſimul. Fato moriamur eodem,
Una domus, tumuluſque ferat: quocumque præibis,
Ipſe ſequar. Riſit nympha: arriſitque Philautus.
Nympha manum: dedit ipſe manum. Tulit oſcula nympha:
Ipſe tulit rurſum; ſimilemque, ſimillima vultu,
Sarcothea accepit tecto thalamoque Philautum.
Tempus abit; ſed perſtat amor, cum tempore ſumens
Incrementa, ingens: qualis dum forte cadentem
Scintillam excipiens fenſim trabs arida nutrit,
Fomite conſumenda ſuo: ſe latius ignis
Exſerit, & lignis carpens alimenta propinquis
Paſcitur exitio; tandemque effuſa per omnem
Flamma domum victrix, totis incendia tectis
Miſcet, & ingentem diſplodit in aera molem.
Quo ſe cumque domi ferret, quocumque per agros
Nympha, latus ſtipans, geſtit comes ire Philautus.
Quod faceret, tractabat opus, ſeque omnibus aptans
Caſibus, in nymphæ totus componitur uſum;
Gaudia gaudenti ſocians, gemitumque gementi.
Conſiliis unus præerat, ſtudiumque regebat
Sarcotheæ. Tenues velabant corpora lanæ,
Utque dedit natura, rudes; ſed ſpernere notas

Exuvias

Exuvias ovium, & naturæ quærere fucum,
Atque colorato lanas mutare veneno,
Ignaram docuit, vitiumque ornare pudoris,
Ac veſtem, quæ pœna fuit, transferre decori.
Ipſa etiam lectas, quas vexit in horrea, meſſes,
Annorum fœnus, notos tribuebat in uſus,
Delicias fugiens, pretioſaque pabula ventris.
Sed didicit mutare famem, ſuadente Philauto,
Atque epulis gaudere novis, libare placentas,
Et volucrum turdos, atque oſtrea quærere ponti,
Grataque ſpumantem fundentia pocula Bacchum.
Talibus intentam ſtudiis, curiſque vacantem
Sarcotheam, multa faciebat prole parentem.
Prima fuit tumidis inflata Superbia venis:
Proxima Avarities, contracto pallida vultu:
Mox Gula, Luxuries, ac mollis Acedia, cunas
Implet, & invidiæ ſoror intractabilis Ira.
Infælix ſoboles! tantaque indigna parente!
Illa tamen fovet inſanam ſtultiſſima prolem
Blanditiis, mollique ſinu; matriſque placebat
Nomen, & amplexus natarum ae baſia captat.
Haud ſecus informes amplectitur urſa catellos,
Lambendo fingens; aut, factæ neſcia fraudis,
Incubat excluſis alieno partubus ovo,
Mater avis, curvoque rapaces ungue cuculos
Educat, ad propriam vecors nutricula mortem.

Perdidit hanc etiam blanda indulgentia matrem,
Insanæ matrem sobolis! Crevere maligno
Ingenio natæ, solitæ insultare rebelles,
Imperiumque ausæ placidæ convellere matris,
Nec legum præscripta sequi, nec jura vereri
Assuetæ, cunctis est pro ratione voluntas.
Interea plenis decurrit passibus ætas,
Jam matura viro; sed quantum proficit annis,
Deficit ingenuo tantum quæcumque pudore.
Forma proterva tamen, constans audacia frontis,
Atque mares animi multos traxere procantum.
Pellicit illustres formosa Superbia Reges;
Turpis Avarities senibus placet; Ira minaces
Traxit heros; Gula divitibus speciosa videtur;
Invidiaque inopes certant; & inertia mollis
Militibus grata est. Pellex simul omnibus una
Luxuries multis gaudet, nulloque marito.
Improba progenies! nil non audere parata!
Contemptrix hominumq; deumq; atq; omnis honesti!
Illa sibi Divos finxit, scelerique faventes
Cœlicolas. Primum damnosa Superbia numen
Invexit, coluitque Jovem; Phlegetonta colentem
Traxit Avarities Plutum; sed & impia Martem
Repperit Ira deum, Gula Bacchum; teque, Cupido!
Luxuries: nullum colitur sine numine crimen:

Quin

Quin etiam nullum colitur ſine crimine numen.
Plurima fulminei laudatur adultera divi:
Huic impune fuit pluvio peccaſſe ſub auro,
Europamque humeris potuit ſufferre doloſis.
Nunc taurus, nunc cygnus erat, ſed ſemper amator,
Laudatus ſemper. Niſi Mars placuiſſet adulter,
Ipſa Venus ſterilis, nulluſque Cupido fuiſſet.
O ſuperum nova propudia! O inſana vetuſtas!
Sarcothea indulgens tantum, ſuaſore Philauto,
Natarum opprobrium patitur, cupidumque novorum
Impendens animum, ſenſim majora probabat,
Præceps criminibus pandens iter: omnia late,
Faſq; nefaſq; probrumq; probro miſcentur aperto.
Non, mihi centenæ fundant ſi carmina linguæ,
Neſtoraque eloquio vincam, doctique Maronis
Ore canam, ſcelerum complectar nomina verſu,
Noxarumque luem. Superarunt crimina metrum.
Grandius eſt verbis aliquid quo terra laborat.
Sol ubi puniceos oriens ſub frena jugales
Cogit, & obſcurum donat, poſt nubila, cœlum
Luce renaſcenti, nocturnis obvius umbris:
Hic ſibi delegit natarum prima Philauti
Ambitio ſedem: molique intenta ſuperbæ,
Ingentes operas fabricandæ collocat aulæ.
Pars calcem, pars ligna ferunt, lapideſque miniſtrant.
Fundamenta locant alii, cæmentaque mixtim

Firmando inſpergunt operi, latereſque perenni
Conciliant vinclo, lentoque bitumine ſtringunt.
Pars etiam immanes inculta ex rupe columnas
Exſcindunt, aptantque locis, trabibuſque ferendis
Subſternunt: certant operæ, cœloque propinquum
Murorum educunt molem, dum nubila vincat,
Et ſua cognatis faſtigia conſerat aſtris,
Deſpicienſque ſolum, Pindumque hac turre minorem,
Lætatur ſub ſe poſitos decreſcere montes.
Quid memorem pretiumque rei, pretiumque laboris,
Admixtamque artem pretio? Sua mœnia jactet,
Pervia jactatis Babylon celebrata quadrigis!
Pergama Trojani memorent Neptunia! Thebæ
Auritos lapides, celebreſque Amphionis arces!
Notaque pyramidum faſtigia Memphis adoret!
Et Rhodium miremur opus! templumq; Dianæ!
Quod vix mille manus, vix ſecula bina dedere
Exſpectanti Epheſo. Cedant miracula mundi!
Ac Romæ dominantis opes! Nil aula Neronis,
Nil magnum amphitheatra tenent. Sint mille columnæ,
Scaure! tibi, ſed laudis egent: illuſtrius unum eſt,
Quo ſuperat tumidos Regina Superbia Reges.
Veſtibulum Iſthmiaco geminas ex ære columnas
Bis denis effert cubitis, ſuſpenſa ſub arcu
Oſtia, marmoreo late panduntur hiatu,
Aſperſoque nitent auro. Domus intima gemmis,

Et

Et paſſim ſulvo radiat variata metallo:
Atria beryllo fulgent: gravibuſque ſmaragdis
Junctus onyx, adamaſque micat: deſpectus achates
Proculcatur humo: pictiſque aſarota figuris,
Et vario illuſi fulgent emblemate muri.
Criſtatæ volucres, & pictæ ſyrmata caudæ
Explicat elatus pavo; collumque, jubaſque
Quaſſat equus, glomerante gradu, fulvique leones
Immani poſcunt taurorum ingentia rictu
Corpora, deſignantque oculis; hærebat in ipſis
Marmoribus terror, magnæque elatio frontis.
Tanta domus, longis quamvis pulcherrima muris
Emineat, ſurgens laquearibus aurea ſulvis;
Paucis illa tamen pendet ſubnixa columnis.
Fundamenta vitrum eſt; pretioſa pericula tantum
Continet, ac facilem caſum ruitura minatur.
Auguſto media in ſolio Regina ſedebat.
Ardebant oculi: frons ceruſſata nitebat
Alta ſuperciliis, ſimiliſque infecta minanti,
Elata cervice tumet, vultuque ſevero
Deſpicit adſtantes populos: turgentia vaſto
Librans verba ſono, & ventoſo gutture torquens.
Inſtabilis remanere loco, nunc ardua fulcit
Membra toro, tumidumq; latus manus utraq; ſtipat:
Nunc ſolio excelſo ſeſe demittit, & aulæ
Ingreditur ſpatia, ac celſo veſtigia greſſu

Ponderat,

Ponderat, alternis ſuſpenſos greſſibus armos
Intorquens, vanoque agitans libramine corpus.
Qualis Theſſalica gradiens ſpectatur arena
Bucephalus, celſoſque oculos, humeroſque ferebat,
Dum Macedum lata ferret cervice tyrannum;
Talis erat. Cunctis ſeſe ſpectabilis offert,
Spectatrix ſimul ipſa ſui, limboſque fluentes
Obſervans circum. Quam culto cyclas amictu
Pendeat, ac longo diverrat ſyrmate terram?
An nova deformes patiatur purpura rugas?
An niteat fulgore ſuo? Sic pavo ſuperbus
Diſpicit immenſæ ſtellata volumina caudæ,
Plumarumque toros per apertum circinat orbem,
Et multum paſcens oculos, & conſcia formæ
Colla levans, criſtaque tumens, blanditur eunti
Ipſe ſibi, pulchroque gradum moderamine librat.
Non illi rudibus placuit toga ruſtica lanis,
Cannabeique ſinus; ſed ſerica palla ſupinam
Lambit humum, circum variis illuſa figuris,
Artifici quas docta manus diſcrimine finxit.
Sidereis rutilum gemmis intermicat aurum.
Et labor ac pretium certant, color omnis in una
Veſte nitet: pars fulva micat: pars æmula cœlo eſt:
Murice pars intincta rubet: pars læta vireſcit.
Proxima ſtultitiæ ſpecies erat, aureus altæ
Cervici infuſus torques, corallia collo:

Et

Et niveas gemmis onerabat prodiga dextras,
Splendida vincla ferens. Quin & ſandalia, plexis
Exornata roſis, floreſque lutumque trahebant.
Cæſariem collo ſparſam ſtudioſa corollis,
Cincinniſque vibrat, tortæque volumina ſilvæ;
Et capitis flaventis opes ſuſpendit in auro:
Atque leves frontis maculas, delictaque formæ
Aſperſo emendat fuco, minioque colorem
Ætati ſimulans, vitro ſe judice fingit.
Tantæ molis opus Regina Superbia tractat!
Hinc vix nota ſibi, generiſque oblita prioris,
Sarcotheam neſcit; neſcit primordia gentis
Terrigenum, vilique pudet ſe ſtirpe creatam.
Sed fingit titulos, atque inclyta nomina longis
Condita porticibus. Claræ incunabula gentis
Semideis deducta viris, pulchræque curules,
Purpuraque, & faſces, & priſcis edita ſeclis
Nobilitas, multiſque retro ſubnixa triumphis
Atria laudantur. Placet ingens nominis umbra,
Et ceræ tantum, ac tenues ſub imagine fumi.
Nec minus exſpectat vanæ mendacia plebis,
Applauſuſque leves, circum fuſumque favorem,
Mancipium famæ! atque auræ popularis amatrix!
Turba frequens circum famulantia colla ſuperbo
Subjicit imperio, dominæque miniſtrat honorem.
Hos nebulis late & denſa caligine ſeptos

Offu-

Offuſcatque oculis, ac paſcit inanibus auris.
Hunc tumidum proavis, & priſcæ lucis amantem,
Patribus indignum, ſcelerumque in nocte latentem,
Obruit, & nulla donat virtute ſepultum.
Alterius commendat opes, oriſque ſereni
Purpureos flores, quos improviſa ſenectus
Demetit, aut ſubito mors improba præputat auſu.
Hunc, licet ingenio cautum, ſpes ſæpe fefellit
Ambitioſa boni; cum docta ſuperbia traxit
Præcipitem, vanæ luſum tinnitibus auræ.
Scire quidem, ac ſciri, doctæque placere Minervæ,
Audirique ſophos (niſi quos demiſſio firmat)
His nocuit, magnæque fuit doctrina ruinæ.
O quot divitiis, vitiiſque, ad iniqua coacti
Fata ſuperborum, miſeranda morte premuntur?
Turgenti ſimiles bullæ, fumoque volanti!
Res rara eſt humilis dives: loculique, animique,
Excreſcunt pariter, rebus tumefacta ſecundis.
Vix fortuna ſuo, quamvis jucunda, ſereno
Fulget amica ſatis: numquam virtutibus æquum
Indulget vultum: quibus elargitur honorem,
His adimit faciles animos, flectique paratos
Obſequiis, faſtu abripiens per devia pronos.
Blanditias fortunæ omnes, tituloſque, decuſque,
Inſidias, non dona, putes: favor ille furore
Claudetur: nomen faciet te grande ſuperbum.

Quin

Quin etiam inflari timidos, verbiſque feroces,
Invenias, nullis decorat quos gloria factis.
Sunt qui Trojanos clypeos, fortemque recenſent
Hectora, & Æaciden: norunt, queis victor in armis
Dardanides, terraſque novas, Trojamque requirat.
Æmilios fortes memorant, Decioſque cadentes,
Atque per Æmathios mavortia prælia campos,
Victriceſque acies, & tinctas ſanguine ripas
Enſe ſuo, palmiſque domos victricibus ornant:
Verbis bella crepant, bellatoreſque figurant;
Sed leporem pavidi circum præcordia geſtant,
Et tantum fuſo deſcribunt prælia Baccho.
Quid miſeras dicam ſtrages rationis, & omnem
Ingenii labem, ac mentis diſcrimen honeſtæ,
Quod parit ambitio? Fas omne, nefaſque probabit
Grande ſupercilium, & pleno mens turgida faſtu.
Non regitur, ſed ſola regit, durumque recuſat,
Imponens aliis, Regina Superbia, frenum.
Indocilis conſulta pati præfracta voluntas,
Obfirmata animi ratio, juſtique pudoris
Neſcia, difficilis perſtat, legiſque rigorem
Reſpuit; ipſa ſibi lex eſt, & regula morum.
Hæreſis exemplum eſt, quam fœta Superbia triſti
Effudit partu, nutrixque infauſta! Megæra
Lactat, & infando ſatiat pro lacte veneno.
Centum colla gerit, centum gerit improba vultus,

Diſſimiles ſemper vultus, ſed lumine caſſos.
Ora gerit totidem, bifido ſed lingua palato
Diverſa ora ſonat. Parvos cervice dracones,
Implexoſque humeris, & lubrica colla vibrantes,
Suſtinet, ac facibus dextras crudelibus armat,
Errorum princeps! animiſque rebellibus ardens!
Impatiens tolerare jugum, ſanctoſque peroſa,
Et cœlum, & cœli numen: nova ſacra, deoſque
Inſtituit, priſcaſque rapit temeraria leges.
Bella ſerit, rixaſque fovet, gaudetque ruinis
Regnorum, expugnatque decus pietatis avitum.
Tanta lues, Faſtus! tantorum eſt cauſſa malorum!
Hoc ſuaſore, puer duro mandata parentis
Negligit ingenio. Domino parere miniſter
Dediſcit, vulgus Regi, Rex ipſe Tonanti.
Exoſum genus! & toto exſecrabile mundo!
Quos humilis tumiduſq; fugit: non ille probandos
Diſſimiles; non hic ſimiles putat eſſe ferendos.
Quiſquis honoratos apices, & culmina rerum
Affectat, famæque cliens, & laudis adulter
Sinceræ, vetito ruit ad faſtigia calle.
Hic caſum ſublimis amat, latumque ruinæ
Sternit iter, cupidoque dabit ludibria vulgo.
Excelſum vertigo rotat caput. Itur in altum,
Mox etiam in præceps. Ludit fortuna ſuperbos.
Teſtis Alexander! cui magno, & ſorte feroci

Ingens

Inges tenrra minor, cui flexit ſpicula Parthus,
Medus terga dedit, Perſis ſua tradidit arma,
India ſuccubuit, porrexit Græcia ſceptrum,
Victoremque ſuum poterat fortuna vereri.
Sed ruit elatus, faſtuque oppreſſus inani,
Magnus in exigua Pellæus clauditur urna!
Quantus erat Xerxes! medium dum contrahit orbem,
Urbis in excidium, & Salaminia littora complet
Claſſibus. Anguſtus nimium eſt, trabibuſq; ferendis
Deficit, oceanus. Sitienti flumina Marti
Decreſcunt, tantumque capit vix Græcia ferrum.
Ventis jura dedit, duroſque infamibus euros
Increpuit flagris, captivaque flumina duxit,
Diverſis abſtracta viis: ſervire coegit
(Quid ſperet Salamis?) ſævis elementa flagellis.
Thermopylæ tumidum doceant, quæ fata ſuperbos
Exſpectent! Quanto vaneſcat gloria fumo!
Vix ratis una fugæ ſupereſt, vix ulla ſalutis
Anchora, cui totum latuit ſub navibus æquor,
Barbaraque indecorem vix texit Perſia regem,
Qui, terram ſuper, immenſo par ibat Olympo!
Improba ſic duros tellus enixa Gigantes,
Monſtra ſuperborum dedit, exemplumque repreſſæ
Ambitionis habet, cum gens inſana polorum
Regna quatit, magnum contra jurata Tonantem.
Illi inter ſeſe murorum ingentia jungunt

Pon-

Pondera, Caucaſeos montes, ac culmina Olympi,
Denique & immanem ſociarunt Pelio Oſſam.
Iapetus, Briareuſq; illinc, Rhœcuſq; Typhœuſq;
Hinc inſtant centumque viis, centumque lacertis,
Partitimque urgent operam, molimine magno,
Donec opus tollant immenſum: audacia factum
Juvit, & excelſi tentarunt atria cœli.
Excordes animi! quiſquamne impune Tonantem
Provocet? aut paribus tentet certamina nervis?
Riſerunt Superi, facilique errore loquentes
Involvunt, cœptumque ingens vox diſſona ſolvit,
Et jacuit vacuo confuſa Superbia niſu.
Quam ſoleant excelſa premi, quamque ardua pronis
Caſibus urgentur, Superi documenta relinquunt,
Conſciaque aſtra tenent, quondam calcata tumenti
Lucifero, & dives ſpoliis teſtatur Avernus.
Nil humiles metuunt: magna eſt demiſſio vallis:
Non penetrant hoſtes, nec machina bellica tranſit,
Sed tutis circum defenſa paludibus, arcet
Hoſtiles cum fraude minas. Huc nulla Tonantis
Fulmina deſiliunt: hanc Phœbus mitius urit:
Lentius affligit Coreas. Majora petuntur
In caſum: celſas Mavors bellator in arces
Irruit, & vaſtis adhibetur machina muris.
Montibus incumbit fulmen, magnaſque procellæ
Concutiunt quercus, Libanique cacumina frangut
Elatis nimium noli confidere rebus!

FINIS LIB. III.